¶ Quomō ſe habere debeat cōfeſſor erga penitentē: et de quibus interrogandū eſt in cōfeſſione et ibi verſus decē preceptorꝝ decalogi: et verſus ſeptē peccatorꝝ mortaliū: et ꝙ in cōfeſſione tria debet obſeruare interrogando confeſſor. ¶ .ij.

DIcit Aug⁹.de pe.di.vi.c.i.poſt mediū. Diligēs inquiſitor ſubtilis īueſtigator ſapiēter et quaſi aſtute interroget a peccatore qui forſitan ignorat vel pre verecundia vellet occultare: cognito autē crimine varietates eius non inueſtigare dubitet et locū et tempus ⁊c. quibus cognitis adſit beniuolus parat⁹ corrigere et ſecū onus portare: dulcedinē in afflictione: pietatem in alteri⁹ crimine: diſcretionē in varietate: adiuuet confitentē orando et alia ꝓ eo bona faciendo: ſemꝑ inuet liniendo: conſolando ſpem ꝓmittendo: et cum opus fuerit etiā increpādo: doleat loquēdo: inſtruat oꝑando: ſit particeps laboris ſi vult eſſe particeps gaudij: doceat perſeuerantiā. hec Aug⁹. Ex his verbis aug. patet ꝙ nō ſufficiat audire confeſſionē eorum que ſibi dicūtur a peccatore et ipm̄ non interrogare: niſi eſſet ꝑſona in his bene perita et ſciētiata que ſufficiēter ſcit dicere q̄ oportet. Sed cum ꝑſone cōmuniter ſint groſſe in iſtis: etiā ille que ſunt in alijs negotijs mundi vel ſciētijs acuti: ideo ꝑmittendū eſt dicere vnicuiqꝫ id qđ vult et eo ordine quo vult et de pctīs que ꝑ ſe ſufficiēter dicit nō eſt iterū interrogand⁹: ne moleſtes eū in quo nō oportet. Sed ſi aliqđ non bn̄ intellexiſti ꝓcipue de mortalib⁹: faciat ſibi iterū declarare vt meli⁹ intelligat. de his vero q̄ non plene puta dixit circūſtātias neceſſarias vl numeꝝ interroga eū de his vt plene dicat q̄tū eſt neceſſariū. De illis vero pctīs que nō dixit nec ſcit ꝑ ſe dicere interroga eū.

Quo ordine debeāt fieri interrogatiōes et de quibus.

SEd Ray. et hoſt. in ſum. dicūt ꝙ interrogationes fieri debēt de ſeptē vicijs capitalibus et eoꝝ ſpeciebus filiabus: de quibus habes ſupra diffuſe in ſcđa parte per totū: non tn̄ eſt interrogand̄ de omnib⁹ ſed plus et min⁹ ſcđm ꝯditionē ꝑſonaꝝ. ſicut aūt qui ꝯfitet̄ non hꝫ neceſſe tenere magis vnū ordinē q̄ aliū dicēdo pctā ſua: ita nec ꝯfeſſor interrogādo: tn̄ ad meli⁹ memorie ꝯmendandū de quib⁹ oꝫ interrogare.

et de quibus iam interrogauit ne amplius habeat triplicare congruū eſt tenere aliquē ordinē: et ſi placet interrogare de pre ceptis q̄ continent̄ in iſtis verſibus. Unū cole deum. nec iures vana p ipſum. Sabbata ſanctifices: habeas in honore parentes. Non ſis occiſor: fur: mechus: teſtis iniquus. Non nulli nuptā: nec rem cupias alienā. Declaratione horū verſuū habes infra. Poſt vero interrogationē ſup decem p̄ceptis conueniens erit interrogare ſuper ſeptem vicijs capitalib' qui in hoc verſu cōtinētur. Ut tibi ſit vita ſp ſaligia vita. In iſta dictiōne Saligia. ſunt ſeptē littere ex quib' incipiūt nōia ſeptē capitaliū vicioꝝ. p S vero intelligit̄ ſupbia: ſub qua compꝛehendit̄ vana gloria. per A auaritia per L fetida luxuria. per I inuidia. per G gula. per I ira. per A accidia. Sed anteq̄ interroget de peccatis pri' querat de excōicatione maiori: et ſi inuenit eum aliq̄ ſentētia irretitū: ſi habet auctoritatē ſup hoc abſoluat prius. ſi vero nō hꝫ auctoritatē remittat ad eū qui pōt eum abſoluere.

¶ In interrogatōibus fiendis tria debent obſeruari.

Thomas in. iiij. dicit q̄ cōfeſſor tria debet obſeruare in interrogatōibus fiendis ¶ Primū eſt q̄ non interroget omnes de omnibus. ſed interrogent̄ pſone de peccatis q̄ conſueuerūt reperiri in hominibus illius conditionis et ſtatus: vt ſtipēdiarij de rapinis et incēdijs: clerici de ſymonia et horis obmiſſis: adoleſcētes de luxurijs et hmōi. Unde a principio confeſſionis decens eſt interrogare confitentē de condictiōe ſua: de exercitio et ſtatu: an clericus: an laycus: an ſolutus vel coniugatus et hmōi. vt prudētius idem poſſit formare interrogationes: et quantū eſt tpis q̄ fecerit vltimā confeſſionē et ſi fecit penitentiā ſibi iniunctam: et vtrū in ſtatu gratie vel peccati mortalis. ¶ Scd'm quod debet obſeruare cōfeſſor eſt vt interrogentur ipſi a remotis de peccatis et in genere non in vltima ſpecie et modo peccati ſubito: vt ſi neſciebat tale peccatū com-

mittere illud addiſcat: et ſic inducat in temptationē verbigra
ſi fatetur ſe cōmiſiſſe viciū luxurie non ſtatim interroget ɔfeſſor
ſi ſeipm̄ ſuis manib' poluit et hmōi: ſed ita paulatim interro
get de modo et circūſtantijs talis peccati commiſſi et hmōi.

¶ Terciū eſt ꝙ in peccatis carnalibus non deſcendat nimis ad particulares circūſtantias nō neceſſarias: quia hoc eſt ſeipſum in temptationē inducere: et ad inuentionē peccatoꝝ docere eos qui ignorāt. et aliquādo talia referunt in plateis in deriſum et ſcandalū ſacerdotū. verbigra: ſi vir fatet̄ poluiſſe mulierem extra vas debitū: non vlterius querāt confeſſores in qua parte corporis et quomō: quia iam habꝫ vltimam ſpeciē peccati. alias vero turpitudines quas miſeri homines inueniūt ipſimet ſi volunt exprimant.

¶ De circūſtantijs peccatoꝝ et ibi verſus earum: et ꝙ circunſtantie ſunt in quintuplici ſpecie. §. ij.

Et nota ꝙ ɔfeſſor non ſolū debet interrogare de mortalibus ſed etiā de circūſtantijs que aggrauāt vel alleuiant. vnde Inno. in. c. omis. de pe. et re. dicit. Sit diſcretus ſacerdos et cautus vt more periti medici ſuperinfundat vinum et oleum vulnerib' ſauciati diligēter inquirēs peccata et eoꝝ circumſtantias quibus diligēter et prudenter inquiſitis intelligat quale ei debeat pbere conſiliū: et cuiuſmodi remediū debeat adhibere diuerſis vtendo experimentis ad ſanandū egrotum. hec ibi. Ad illud facit qđ dicit aug'. de circūſtantijs peccatorum. de pe. di. v. c. conſideret qualitatē criminis: in loco: in tēpore: in ꝑſeuerantia: in ꝑſone varietate quali hoc fecerit intentione: et ipſi' vicij multiplici executione: Omnis iſta varietas cōfitenda eſt et deflenda. Dolendū eſt non ſolū quia peccauit: ſed qꝛ ſe virtute et gratia priuauit: doleat alioꝝ vitam in ſuaꝫ fuiſſe corruptā ſcꝫ ſuo exēplo et cōmodum qđ dediſſet proximo exemplo bono. Doleat de triſtitia quā intulit bonis peccando:

et de letitia quā eis non adhibuit. hec Aug⁹. Que omnia intel lige ſcdm ꝙ declarat hic. Illas autē circūſtantias q̄ trahunt peccatū in alteram ſpeciē oportet neceſſario cōfiteri ſcdm Tho. Alber. et alios doctores. Alias em̄ circūſtantias confiteri cū ſint peccata venialia pfectioris eſt virtutis: non tamē eſt neceſſariū Pe. de pa. in. iiij. di. xvi. dicit ꝙ numerus circūſtantiaꝝ compre hendi tur hoc verſu. Quis. quid. vbi. per quos. quibus ſcꝫ auxi liis. cur. quotiēs. quō. quando. Ray. vero addit octauū ſcꝫ quo tiens et vbi in verſu dicit quibus auxiliis ipſe dixit p quos. Di citur ergo quis p varietate pſonarū et ſtatus etatis ſapientie et ordinis et ſic fuit grauiſſimū peccatū Ade: qꝛ quāto gradus altior: tāto caſus grauior et ingratitudo maior. Quid vtrum malū quia prohibitū vel ex genere ſuo: vtrū mortale vel venia le: an occultū vel manifeſtū. ⁊ quantū ad hanc conditionē gra uius fuit peccatū Chayn ꝙ ade: quātitas em̄ grauius homi cidii grauior eſt pctō gule vel ſupbie. Ubi qꝛ in loco ſacro gra uius peccatur. Per quos. qꝛ traxit alios ad peccandū quod eſt ppꝛium dyaboli. vel quos poſuit mediatores ad malū perpe trandum: quia peccatoꝝ illorū eſt particeps vel cum quibus p quibus et cōtra quos. Quotiēs. non ſolū quantū ad conſue tudinem: ſed etiā quantū ad numerū qui numer⁹ refertur ad actionē: non ad obiectū actionis verbigratia. Si homo in vna iuſta ſtractione accipiat ſaccū plenum mille florenis eſt tantū vnum furtū. Si autē tres florenos accipiat diuerſis actib⁹ ſuc ceſſiue erunt tria furta: qꝛ in ipſo actu eſt peccatū ſemp eſſen tialiter: et ideo non pōt vnum in plurib⁹ actibus. Cur. an ex in firmitate: vel ignorātia vel elatione: vel quali intentiōe fecerit: quia mortalia pctā trahunt ſpeciē a fine: ideo hec diligēter eſt explicanduꝫ. Qui em̄ furatur vt mechet magis dicendus eſt mechus ꝙ fur: et tamē vnuꝫ peccatū eſt in vno actu: ſed hēs plures deformitates. Quō naturali vel innaturali: quia ſemp

eſt grauiꝰ in eodem genere ſcꝫ agendo q̃ꝫ patiendo. Quando. ſi
in ſacro tempore: puta diebus feſtiuis vel alio tẽpore: et de pre-
ſeruantia in peccato.

¶ Circũſtantie peccatoꝝ confitende ſunt in multiplici genere.

AD declarationẽ huius ſcꝫ quando circũſtantie pecca
torum ſunt cõfitende. ſic dicit Pe. de palu. Circũſtan
tie ſunt in quintuplici genere. Prime ſunt q̃ non alle-
uiant nec aggrauãt: ſicut ille que nullaꝫ importãt conuenien-
tiam vel diſconuenientiã ad rationẽ nec ex ſe nec ex ſuſpitione.
vt furari cum manu dextra vel ſiniſtra: et iſtas cõfiteri eſt ſu-
perfluum. Secũde ſunt q̃ alleuiant ſcꝫ que importãt conueni-
entiaꝫ: vt facere malũ ex bona intentiõe vel ignorantia: et iſtas
cõfiteri eſt impfectũ niſi timeret ſcandalũ confeſſoꝝ. Tercie ſũt
que importãt diſconueniẽtiam ex ſuſpitõne: vt furari multũ et
iſtas cõfiteri eſt perfectũ: quia aggrauãt peccatũ niſi immine-
ret piculum ſui vel cõfeſſoris vel alterius tercij. Sed quia non
mutant ſpeciẽ nec aggrauãt in infinitũ non eſt neceſſariũ eas
confiteri ſcdm Tho. ſed Pe. dicit ꝙ q̃uis iſta ſit cõmunis opi
nio: tutior tñ eſt alia ſcꝫ vt confiteat̃ eas ſcꝫ cum notabiľr ag-
grauant. vt furari centũ multo grauiꝰ eſt q̃ꝫ furari vnũ. Quar
te ſunt q̃ aggrauãt et mutant ſpeciẽ: non tñ in infinitũ aggra
uant. vt qñ vtrunqꝫ eſt veniale: vel quando primũ eſt mortale
ſcdm veniale. vt in ſpeciebꝰ gule quarũ vna aduenit alteri: et
ſunt quinqꝫ veniales et quinqꝫ mortales: et iſtas cõfiteri non
eſt neceſſariũ: nec illud eſt ↄtra hoc qḋ dicit Tho. et cõmuniter
alij ſcꝫ ꝙ que mutant ſpeciẽ neceſſario ſunt cõfitende. q2 loquũ-
tur de illis q̃ ſunt mortalia. Ratio autẽ quare nõ eſt neceſſariũ
eas cõfiteri eſt iſta quare circũſtantia eſt cõfitenda neceſſario.
non quia mutat ſpeciẽ vt patꝫ in veniali ſed q2 mutat in infini
tũ vt patꝫ in mortali. Sed circũſtantia non mutãs in infinitũ
nunq̃ꝫ aggrauat in infinitũ. q2 intendit penas et non extendit.

Extenſio eñi eſt infinita nec põt creſcere: ſed intẽſio eſt finita et ſemp põt creſcere. Nulla ergo talis q̃ non mutat ſeu aggrauat in infinitũ eſt neceſſario cõfitenda. ¶ Quinto mutant et q̃nq̃ʒ aggrauãt in infinitũ vt quãdo veniali actu puta ad gulã ſtudioſe ꝑparatã addit̃ ebrietas vel notabilis anticipatio hore in ieiunio ſine cauſa. Sed vtruʒ in religioſo ſit mortale qḋ alteri eſt veniale. Dicendũ ꝙ non puta dicendũ verbum ocioſum et hmõi niſi ſpeciẽ mutaret: q: nubere vel velle nubere qḋ ſeclaribus nõ eſt peccatũ ſi hoc fiat cauſa prolis generãde vel veniale ꝓpter voluptatẽ eſt mortale religioſo ꝓfeſſo clerico vel ordinato: quia ſacrilegiũ eſt. Non aũt primi motus luxurie furti vel inuidie. quia nullus vouet ſe non habiturũ primos mot⁹ qui non ſunt in noſtra poteſtate. hec Pe. de palu.

¶ Circũſtantie q̃ trahunt peccatũ ad aliud gen⁹ ſunt ꝯfitende

Et nota ſcḋm Tho. in quadã epiſtola ꝙ ille circũſtantie dicunt̃ trahere peccatũ ad aliud genus: et ideo de neceſſitate cõfitende que habent ſpecialẽ repugnantiã ad aliqḋ preceptorũ diuine legis. ſicut furtũ ſimpliciter repugnat huic ꝑcepto. Non furtũ facies. Si vero fiat furtũ in loco ſacro: circũſtantie loci illã repugnantiã habent ad aliud preceptorum qḋ eſt de veneratiõe ſacramentoꝝ et addit̃ noua ſpecies peccati et ſic de aliis.

¶ Peccatũ cõmiſſum die feſto trahit̃ ad circunſtantiã aliam

Dicit Nico. de lira ſup Exo. ꝙ peccatũ mortale commiſſũ die feſto habʒ ſpecialẽ repugnantiã ad illud de ſanctificatione feſtoꝝ et ſabbati. quia magis eſt opus ſeruile opus peccati q̃ꝫ opus manuale. Opus autẽ ſeruile ibi ꝓhibetur et ſic eſt mortale vltra ꝓpriam deformitatẽ ſue materie ex hoc ꝙ cõmittit̃ in die feſto habet aliam deformitatẽ quã oportet cõfiteri. Et in fine dicit idem Tho. ꝙ illud quod dicitur circũſtantias non trahẽtes peccatũ ad aliud genus ſiue ſpeciẽ

non eſſe de neceſſitate ↄfitendas non eſſe referendū ad numerū peccatoꝝ et eiuſdem ſpeciei: quia numerū tenetur cōfiteri ſi poteſt. quia non eſt vnū ſed multa: et hoc nota diligenter.

¶ Nota tercio ꝙ cum cogitatio cū deliberatione rationis in actum peccati mortalis ſcʒ deliberādi illum actū agere: etiam abſqʒ ope ſit peccatū mortale: ideo ad ſingulas peccatoꝝ ſpēs poſt peccata opis interroga etiā de pctis cogitationū illius pcti tantū et de peccatis oris: et cū opus alicui⁹ peccati et deliberatio mentis ad illud agendū abſqʒ ope ſit eiuſdē ſpeciei ſpēaliſſime: ſed differt ſcđm magis et minus vel pfectum et imperfectum. quia ſcʒ maius peccatū eſt in opere ꝙ in ſola cogitatiōe ideo etiā de circūſtantijs huius cogitationū interrogandū eſt. puta ſi dicit penitēs ſe cōſenſiſſe cogitationib⁹ luxurioſis. quia hoc pōt eſſe multipliciter et in diuerſis ſpēbus ideo interrogetur de qualitate ipſaꝝ cogitationū ſi deliberauit tale pctm̄ committere cum ſoluta: qꝛ tunc fornicatio eſt ſi ipſe ſolutus eſt aut cum cōiugata: qꝛ tunc adulteriū eſt: aut cum cōſanguinea: qꝛ tunc inceſt⁹ eſt: et ſic de alijs ſpēbus luxurie et alioꝝ vicioꝝ.

¶ Peccatum diuiditur in tria.

Pro aliquali declaratōne predictoꝝ nota ꝙ dicit Tho. xij. q. lxxij. ꝙ peccatū diuidit̄ per hec tria. ſcʒ peccatū cordis oris et opis. non ſicut p diuerſas ſpecies completas: ſicut differūt ſpecie bos leo et capra: ſed ſicut p diuerſos gradus pcti ſicut domus in fundamentū diuidit̄ in parietem et tectū: ſicut in ſpecies incōpletas. Conſūmatio igit̄ peccati eſt in ope. vnde peccatū opis habet ſpeciē completā. Sed prima inchoatio ei⁹ eſt ꝗſi fundatō in corde. ¶ Scđs gradus eſt in ore ſcđm ꝙ ab eo prumpit facile ad manifeſtandū conceptum cordis. ¶ Tercius gradus eſt in conſūmatione opis. Patet ergo ꝙ hec tria ptinent ad vnam ſpeciē: cum ab eodem motiuo pcedant. Iracund⁹ eni ex eo ꝙ appetit vindictā prius

turbatur in corde. ſecūdo in verba contumelioſa ꝓrumpit. ter
tio ꝓcedit ad facta iniurioſa: vt percuſſionem et hmōi: et ſic de
alijs quibuſlibet. vt luxuria. Nec tamē ſic intelligendū eſt pec
cata cordis eſſe ſpecies incōpletas quaſi non ſint mortalia imo
quādo in eis eſt cōſenſus deliberatiuꝰ ad actus qui de ſe ſunt
peccata mortalia: tales cogitatōnes ſunt peccata mortalia et ſi
non ita grauia ſicut peccata operis vt dictū eſt. Et quādo ſunt
ſimul cogitatio cum locutiōe et opere: vnum eſt peccatū: vt pa
tet de luxuria et alijs peccatis. quādo vero quodā tempore de
liberat fornicari: et alio tēpore diuerſo et diſtanti fornicat̀ ſunt
duo peccata mortalia.

¶ De delectatione vero moroſa aliquid dicetur ſuo loco.

Regule quinqꝫ cognoſcendi peccatū mortale a veniali.

Ad cognoſcendū uero quando peccatū eſt mortale vel
veniale nota quinqꝫ regulas. ¶ Prima eſt quando
amor vel affectio ad aliquaꝫ creaturā ſcꝫ ſe vel aliam
tantū creſcit: vel eſt tam magnus ꝙ in eo cōſtituitur vltimus
finis: id eſt ꝙ nec actu nec habitu ordinat illam creaturā aut
eius dilectionē: aut etiam ſeipſuꝫ ſecundū deum et vellet cum
tali creatura contentari et non curaret deū offendere aut eius
precepta tranſgredi ꝓpter illam creaturā: ita ꝙ ibi eſt equalis
contemptus dei ſi nō eſt formalis tamen interp̄tatiuus: et eſt
fruitio creature: quia p̄ponitur creatura deo. vnde cū aliquis
vellet hic cū creatura ſemꝑ manere non curando de eterna bea
titudine: licet non ſint ſemꝑ rudes de hoc interrogādi vel tem
ptandi: tamen talis amor creature ſemꝑ eſt peccatū mortale.
Quando autē aliquis diligit aliquā creaturā pluſquā deum
ſed ꝓpter hoc nollet deū offendere aut eo carere nec eius amici
tiam perdere: talis amor creature eſt peccatū mortale. ¶ Se
cunda regula ſatis concordat cum p̄cedenti ſcilicet cum notabi
liter contra dilectionē proximi aliquid cōmittitur: tunc eſt morta

le peccatū. quando vero nō: tunc est veniale. quando vero ali/ quid fit contra dilectionē dei: potest attendi penes hoc qđ repu/ gnat caritati vel amicitie quā debemus ad deuꝫ habere super omnia. qñ autē aliquid fit contra dilectionē ꝓximi pōt attendi penes ista ꝑcepta legis nature scꝫ. Quod tibi nō vis fieri alteri ne facias. et qđ tibi rōnabiliter et ex debito vis fieri alteri facias et potest etiā attendi penes scandalū actiuū ꝙ ego infero proxi mo meo ꝑ mala exempla. sed inquantū importat aliqđ contra dilectōnem vel quantū sit illud scandalū ad hoc ꝙ sit mortale non ꝑcise determinatū est: qꝛ in modico facere contra ꝓximum non est mortale aut in paruo scandalizare. vñ quilibet attendat seipsum qđ sibi vellet fieri et quod sibi nollet fieri: et qđ factū et non factū soluere inter se et proximū suum amicitiā quā simul hñt ¶ Tercia regula qñ omittunt contra ꝑceptū dei et ecclesie vel legis nature vel suꝑioris que ꝑcepta sunt de necessitate sa/ lutis vel cōtra votum publicū vel priuatū: vel contra iuramen tum licitū: et tunc est mortale pctm̄: qñ vero citra: tunc nō est mortale ¶ Quarta regula cum aliqđ fit vel cōmittit vel omit tit contra conscientiā vere vel false dictantē aliqđ pctm̄ mortale vel contra conscientiā formidantē ꝓbabiliter vel dubitatiue an aliquod peccatū sit mortale: tunc semꝑ est mortale si cōscientia non sit sufficiēter instructa ¶ Quinta regula de actibus intus manentibꝰ: quādo quidē habet solā cogitationē de aliquo quā/ tumcunqꝫ turpē vel malam absqꝫ complacētia seu delectatiōe vel cōsensu: tunc nunꝙ est peccatū mortale vel nullū vel venia le. Quādo vero est cōsensus in actū qui esset peccatū mortale: tunc semꝑ est peccatū mortale: qꝛ deus voluntatē ꝓ facto ac/ ceptat. Quādo autē cum cogitatione aut cōplacentia est dele/ ctatio morosa in aliquo turpi: specialiter in libidinosis: tunc est mortale. scđm dictum Augꝰ. esto ꝙ non sit cōsensus in actum. scđm hoc dictum Augꝰ. Judiciū est de peccatis interioribus.

Ad quod etiam facit diſtinctio ſupra poſita de ſenſualitate et ratione et de peccatis ꝓuenientibus et ſequētibus deliberatio, nem. Applicādo igitur ſeptē vicia capitalia q̄ non ſunt ſp̄ mortalia ſed ſunt male radices in homīe ex quibus oriunt̄ ſeptem venialia.

¶ Que debeat ſeruare et ſcire confeſſor vtilia. et neceſſaria in ipſo exercitio confeſſionis. ¶ .iiij.

Vltra excōmunicationē iuris cōmunis ſciat confeſſor ſi penitens incidiſſet in ſententiā conſtōnis ſynodalis ideo debet inueſtigare de conſtōnibus illius dyoceſis ſi quas haberet: vel etiam ꝓuintie vel legationis vt meliꝰ poſſit penitētibus ꝓuidere. Diligenter querat de numero peccati quotiens incidit in id vel in illud: quia homīes ſepe tranſeunt illud leuiter. et de circūſtantijs neceſſarijs: et de peccato quod alteri iam rite confeſſus: et non queras cum non teneat̄ niſi in caſu in quo tenet̄ confeſſionē iterare. de quo plene ſup̄ in titulo p̄cedēti: et nō ſolū de peccatis opere ꝑpetratis ſed etiā de peccatis cordis et de numero eoꝝ que perſone paruipendūt interrogandum eſt. et quia ſcđm Tho. in. ij. Peccatū cogitationis et operis in eadem materia ſunt vnius et eiuſdē ſpeciei: ſed differunt ſcđm magis et minus. quia ſcȝ peccatū operis eſt grauiꝰ peccato cordis: ideo etiā interrogandū eſt de ſpecie et circūſtantijs neceſſarijs peccatorū cordis. verbigrā. Si dicit ſe in mente ſolum deliberaſſe mulierē cognoſcere: interrogandū eſt vtrum ſolutā vel nuptam: virginē vel aliam et qua die: et hoc quia ipi faciunt illud peccatū eſſe diuerſe ſpeciei. Et ſi mulier: facias eā ex tranſuerſo ſtare ne faciē eius aſpicias: quia facies eaꝝ ventus eſt vrens: ait ꝓpheta. Sed nec virū decet frequēter aſpicere in facie: ne eum erubeſcere facias vltra ꝙ oportet. viroſqꝫ graues et ſapiētes dulcius et vrbanius rep̄hendere: ruſticos groſſos ac ydiotas durius: ne peccata ſua paruipendāt ex leuitate ſermonis. Stimulatos vero ex dolore ꝛ deſperatione quātum-

cunqꝫ peccata cõmiſſa ſint grauia cõfortare: et animare expe-
dit inducẽdo exempla Dauid. Magdalene. Petri. Pauli. La-
tronis. et hoc induratos et ſe excuſantes aggrauare pctã eorũ
oſtendẽdo eorum picula. Exemplo Ade. Saulis. Jude. et hu-
iuſmodi qui ſeipſos deſperauerũt. ¶ Nota ſcðm. m. Ub. r. li.
de offi. ord. ꝙ illoꝝ confeſſiones prius ſunt audiende libentius
qui magis indigere putanẽ: vel quia raro venire ſolent: vel qꝛ
ſunt extranei: vel quia ſunt in maiori ſtatu: vel de quoꝝ confeſ-
ſione ſperatur vtilitas futura.

¶ Quomõ ſe habere debeat confeſſor audiendo mulieres.

Item dicit de audientibus mulieres caueant ne niſi in publico audiant: et niſi ab aliquo videanẽ nec multum immorẽtur: niſi quantũ neceſſitas confeſſionis requirit: et eis q̃ nimis frequẽter confiteri volunt aſſignẽt certum tp̃us extra quod ipſas nõ audient nec aliĳs colloquĳs ſe eis exponãt: et ſemp duris verbis et rigidis vtanẽ circa illas potius ꝙ mollibus. hec ille. Et hoc cõtra illos qui quotidie audiũt mulierculas et faciunt eis longas p̄dicationes: vnde amittũt multum tẽporis et ſcandalũ ſequitur cõmuniter in ipſis et in populis.

¶ Qualis et quanta debeat iniungi ſatiſfactio ſeu penitentia a confeſſore penitẽtibus: et qualiter ſe habere debeat penitentias iniungendo.

Nota ꝙ pro quolibet peccato mortali erat regulariter ſeptennis penitẽtia iniungenda ſeu imponẽdã vt habetur. xxĳ. q. i. c. predicandũ. in glo. et. xxxiĳ. q. ĳ. c. hoc ipſum. et. § . ſequenti. qð ſeruabaẽ antiquitus et iſta ſeptẽnis penitentia magis vel minus aſpera ſcðm varietatem criminũ maioꝝ vel minoꝝ et circũſtantiaꝝ et compũctionis erat. qꝛ vt dicit Hiero. Apud deũ non tm̃ valet tpis menſura ꝙ doloris. nec tantũ abſtinentia ciboꝝ ꝙ mortificatio criminũ. de pe. di. i. c. menſura. Sed hodie penitentie omnes ſunt arbitrio confeſ-

ſoris taxande conſideratis circūſtantijs criminū et perſonaruꝫ: et hmōi. extra de peni. et re. c. deus qui. Dicit etiam leo papa. xxvi. q. vij. c. tēpora. Plenitudinis tue moderātis arbitrio ſunt conſtituēda prout conuerſoꝝ animos ꝓſpexeris eſſe deuotos. Ray. Guil. et Spe. in ſuo reptorio hoc tenent et generalis conſuetudo ſic ſe habꝫ: nec eſt contra hoc qḋ dicit Greg⁹. de pe. di. v. c. Falſas penitētias dicimus que non ſcḋm auctoritatē ſanctorum patꝝ pro qualitate criminū ponunt. Hoc eīn intellige ſcḋm Ray. cum ſine neceſſitate rationabili dimitterent penitentie antiquitus taxate. nam vltra illam cōmunem penitētiam ſeptennē pro quolibꝫ mortali peccato in genere ponunt alie penitentie maiores vel minores ꝑ certis peccatis: prout habet in diuerſis capitulis decretaliū et decretoꝝ. q̄ quia cōmuniter non dantur hic nō pono. que plenius habent in ſum. confeſſorū. li. iij. ti. xxxiiij. q. cxxv. ti. de pe. et re. vbi ponunt caſus. xlvi. de hmōi Eſt autē ſatis rationabilis cauſa non dandi hmōi penitentias indiſpoſitio penitentiū: et etiam aliquādo non ſufficeret temp⁹ vite. Nam Ray. et Hoſti. dicunt. Debet confeſſor talē dare penitentiam quā veriſimiliter credat illū implere: ne ipſum violando deterius ſibi cōtingat ꝙ ſi magna peccata cōmiſit et dicit ſe penitere: ſed nō poſſe aliquā duram penitentiā facere. animet eum ad hoc cōfeſſor ei oſtendēdo grauitatē peccatoꝝ et per conſequens penitentiā penarum ſibi ꝓpter hoc debitarū: et ſic tandeꝫ iniungat ei penitentiā quā libenter ſuſcipiat et ei ſacerdos non pōt gaudere de eminēda purgatiōe eius: ſaltē gaudeat ꝙ liberatū a gehenna trāſmittit ad purgatoriū. Itaqꝫ vt dicit Hoſti. confeſſor nullo modo debet ꝑmittere peccatorē deſperatum a ſe recedere. ar. xxvi. q. vi. c. p̄ſbyter. ſed potius imponat ei vnū pater noſter vel aliud leue. et alia bona que fecerit vel mala que tolerauerit ſint ei in penitentiam. concor. Tho. in hoc. hoc tamē ſane intellige: videlicet ſi ipſum alias penitet: et

dicit ſe paratum facere qđ debet: ſed hoc onus penitentie ſuffi
cere nõ poſſe tunc ꝓpter hoc quantũcunq; deliquerit: non debet
dimitti ſine abſolutione ne ſe deſperet. Sed ſi dicit ſe non poſſe
dimittere odium vel caſte viuere: vel alienũ non velle reſtitue
re: vel artem dimittere quã ſine mortali peccato exercere nõ po
teſt: vel aliud hoc cum poſſit nullo modo debet abſolui ſcđm
Tho. Pe. de palu. Ab quia vt dicit Greg. xi. q. iij. c. Tunc vera
eſt abſolutio ſacerdotis: cum interim ſequitur arbitrium iudi
cis. ij. q. i. c. Deus omnipotens qui nunꝗ abſoluit. de pe diſt. i.
c. neminem. Sacerdos aũt nullam debet cõmittere falſitatem
in ſacramentis veritatis. Unde et de pe. diſt. v. c. Fratres no
ſtros ãmonemus vt falſis penitentijs animas laycoꝝ decipi
non patiantur. Falſas penitentias dicit cum ſic agit de vno vt
non recedat ab altero. Uerum ſi tale peccatum pur vult confi
teri: debet audiri eius confeſſio. vt dicitur extra. de peni et re. c.
ꝙ quidam et ſibi aliquid debet iniungi: non tamẽ abſoluendo
eum: ſed ei declarando ꝙ ꝓpter hoc non eſt abſolut9 ſed tamẽ
ſatiſfaciat precepto eccleſie annualis confeſſionis fiende: et hor
tetur eum ꝙ faciat omne bonu; quod poteſt vt deus cor eius
illuſtret ad penitentiã. vt dicitur de peni. di. v. c. falſas. et ſic nõ
eſt dimittendus ſine confeſſione ne deſperet. quod ſi inſtet pro
abſolutione oſtendẽdo ſcandalum et deſperationẽ ſi nõ abſol
uatur: nullo modo debet ei aſſentire: licet tamẽ ei declarare ꝙ
fieri non poteſt: nec iuuaret eum. Et ſi permanet in ſcandalum
non eſt curandum: quia eſt ſcandalum phariſeorum. ij. q. iij.
c. inter verba.

¶ Qualiter ſe habere debet confeſſor penitentias iniungen
do penitentibus.

In imponendo penitentias ne vileſcat auctoritas eccleſie
arbitretur confeſſor: et ne poteſtas clauiũ condemnatur de

pení·diſt·i.c. Sunt qui arbitrantur.l·diſt.c·abſit.et.c.ſi quis ꝑpoſtera·nimis malū eſt ſi pur cōtingat errare ꝙ erret dando nimis paruam ꝙ̈ nimis magnā vt dicit Criſoſto.xxvi.q.viij.c. alligant.quia vt ibi dicit. Melius eſt deo reddere rationē de nimia miſericordia ꝙ̈ de nimia ſeueritate·ſi eñ benignus eſt deus vt quid ſacerdos vult eſſe auſterus. Exemplū habemus a chriſto vt dicit Ray.qui nulli nunꝙ̈ grauem ipoſuit penitentiam:ſed dixit. Uade et amplius noli peccare. et ad hec marie debꝫ attendere confeſſor excidere ab eo cauſas et occaſiones peccatorum:puta ſi cōuerſatio eius cum aliquo vel aliqua eſt occaſio ei alicuius ruine debꝫ imponere ſibi ꝙ dimittat ſi poteſt et hmõi· de pe.di.iij.c· ſatiſfactio aliquādo imponere pōt ei loci mutationē qui ei eſt ad ſcandalū ſi fieri pōt.di·lxxx·c·valet·aliquando tamē res ſic ſe habent ꝙ fieri non poteſt.

¶ Contraria penitentia debꝫ imponi delicto.

Item imponenda eſt penitētia contraria ad malū quod cōmiſit ſcdm Ray.videlicet ſupbo opera humilia· guloſo ieiuniū·auaro elemoſine et hmõi:quia contraria contrariis curant. de pe·di.ij.c.ij· qd intellige ſi creditur illū velle et poſſe pficere. hoc eñ eſt ad bene eſſe imponere magis iſtam ꝙ̈ illam. Itē ſi eſt negligens ad audiendū verbū dei ſi poteſt iniungere.ſcdm Io·ꝙ audiat certum numerꝫ predicationum Debet tamē cauere confeſſor ne det talem penitentiā per quā fiat alteri preiudiciū:puta ſi ſeruo iniungat longa pegrinatio: vel ieiuniū plirum ita ꝙ eius dominus reciperet detrimentū de ſeruitio ſuo·ſi etiā imponeret vxori vt daret multas elemoſinas dabit de bonis viri ſi parafrenalia non habet.

¶ Pro peccato occulto non debꝫ dari maniſeſta penitentia.

Item pro peccato occulto non eſt maniſeſta penitētia iniungenda ſcilicet talis vt poſſit inde oriri aliqua ſuſpitio peccati commiſſi·

Et nota ſcðm Jo. ſup cle. dudum. de ſepul. ſup verbo audire. ꝙ prius debꝫ ſacerdos imponere penitentiã ꝙ̃ facere abſolutionẽ a peccatis quod ꝓbat ex ipſo textu. cle. que prius. loquit̃ de penitẽtia iniungẽda poſtea de abſolutione: tamẽ etiam ex ratiõe. quia cũ abſolutio ſit complementũ et forma in penitẽtia prius debꝫ eſſe ſatiſfactio q̃ eſt pars materialis penitẽtie ſaltẽ in ꝓpoſito actuali vt expreſſa ſatiſfactiõe que debꝫ imponi p ſacerdotẽ acceptet eam penitẽs ſicut confeſſus eſt et doluit: et inde ſequit̃ abſolutio. Sed contrariũ dicit̃ eſſe de cenſi. c. fi. vbi dicit̃ ꝙ archiepi poſſunt in viſitatiõe abſoluere et penitẽtias imponere: ergo hoc de neceſſitate non ꝓcedit quia tamẽ cõmuniter fit contrariũ vt ſcꝫ prius abſoluat̃ et poſtea iniũgatur penitẽtia quomõcunqꝫ fiat vel ante vel poſt ſufficit. ꝑſupponit eñ confeſſor illũ habere ꝓpoſitum eam faciendi quã ſibi iniunget cũ ipſum peniteat. Scðm Jo. ſi penitẽtem abſoluis cuius generalē confeſſionẽ audiuiſti abſoluas eum ⁊ a penitẽtijs oblitis iniũctis ab alijs ſacerdotib⁹ ⁊ ſi aliquaꝝ penitentiarũ iniunctarũ memor ſit ꝙ non ipleuerit eas ſi iudicaueris expediens cõmittes eas niſi eſſet in caſu a quo nõ poſſes abſoluere.

¶ De ꝓmutatione penitẽtie habes ſupra titulo ꝓcedenti. c. fi. vbi etiã multa de ſatiſfactione.

¶ Memoriale dicendũ penitenti circa penitentiã fiendam.

Cautum eſt etiã ſibi declarare et ꝓmittere ꝙ ſi aliqua die ex obliuione vel negligẽtia dimitteret penitẽtiam ſibi impoſitã: puta ieiuniũ vel orationes et hmõi ꝙ poſſit alia die cõmutare. Et ſcðm Pe. de pa. conſulendũ eſt ciuitib⁹ et nobilib⁹ ꝙ querãt participationẽ bonoꝝ que fiunt in religionib⁹ in quib⁹ ſunt et plures penalitates ꝙ̃ alibi et magis deo accepte: ⁊ ꝙ in penitentiã imponat̃ eis ꝙ non ſolũ que facient p ſeipſos ſed etiã que ꝓcurabunt ab alijs et oĩa quoꝝ ſpecialiter ſunt participes. Dicit etiã Pe. de pa. in. iiij. ꝙ debet

cum minorē penitentiā debito impõit innoteſcere ei ꝙ illa pe nitentia ſibi impoſita nõ eſt digna ne decipiat̃ putans ſufficere ſed ꝙ deberet pro quolibet mortali: ſeptennē agere penitētiam quam ſi hic non pficiet in purgatorio luet. Si tamē per illam declarationē crederet eum incidere in deſperatõnem: non debet ſibi hoc dicere.

¶ Quid fiendum quãdo penitens non cõfitetur peccatũ aliquod mortale qđ confeſſor ſcit eſſe in eo.

De confitente aũt qui non confitet̃ aliquod mortale qđ nouit de eo cõfeſſor: et eo ꝙ non reputet illud peccatũ. dicit Gof. in quolibꝫ. ix. ꝙ ſi eſt certũ illud eſſe mortale tunc quicunqꝫ confeſſor debꝫ ei facere conſciētiam de eo: cum confeſſor ordinet̃ ad vtilitatē eius. Sed vtilitas eius eſt ꝙ ſciat ſtatum ſuũ: nec debet eum abſoluere ſed reputare eũ indignum et indiſpoſitũ ad recipiendũ abſolutionē dum manet in tali ſtatu. Sed ſi dubiũ eſt vtrũ ſit mortale: ⁊ opiniones doctorum diuerſe vicꝫ vtrumꝫ ſit licitũ emere redditus ad vitam: tunc autē confeſſor eſt ordinarius eius: ita ꝙ tenet̃ confeſſionē eius audire et tunc ſi ſit opinionis illius ꝙ illud nõ ſit peccatũ debet eum abſoluere ſimpliciter. Si autē credit ꝙ ſit peccatum debet ei facere conſcientiā ꝙ confitens ſe diligēter informet de illo facto vtrum ſit peccatũ: ſed dato ꝙ ille non valet recognoſcere illud eſſe peccatũ nihilominꝰ ex quo eſt ordinarius tenet̃ eum abſoluere: nec debet eum reputare inabilem ad abſolutõnem: quia hoc ex errore et non proterua opinione ꝓcedit. Ordinarius aũt abſoluendo debet ſequi cõmune iudiciũ eccleſie nõ ſuũ. Si autē ſit confeſſor delegatus qui in nullo tenet̃ confitenti niſi velit: ſi credit illud eſſe mortale nõ debet eum abſoluere quia ex mera volũtate dependet vt abſoluat̃ vel dimittat: debet enim ſequi ꝓprium iudiciũ in abſoluendo et peccaret ſi abſolueret. hec Goff.

¶ Sacerdos dicitur ſoluere vel ligare tripliciter: et de modo et forma abſoluendi. § .vi.

Nota tandem ſcd̄m Ray. q̄ ſacerdos dicit̄ ſoluere vel ligare tripliciter. ¶ Uno modo per oſtenſionē.i.oſtēndendo ſolutum vel ligatū: dico cum abſoluit̄. licet enī ſit peccator per contritionē a deo abſolutus: tamē in facie eccleſie adhuc manet ligatus: et ſic intelligit. c. quantūlibet. de pe. di. i. ¶ Alio mō ligat ſacerdos dādo penitentiā ad quā obligat peccatorē: et ſoluit cum penā ſibi debitam dimittit vel ad ſacramenta admittit. de pe. di. i. c. multiplex. ¶ Tercio modo per excōmunicationē et abſolutionē ab ea. xi. q. iij. c. nemo ſit. tamē ſit ſcd̄m Pe. abſolutio a peccatis realiter p miſteriū ſacerdotis: non quidē principaliter et auctoritatiue: quia hoc eſt ꝓprium dei. de pe. di. i. c. verbū. Nec ſolum oſtēſiue: q2 et hoc faciebant ſacramēta veteris legis ſiue teſtamēti. nec ſolū deprecatiue: q2 ſic magis abſolueret bon9 laycus q̄ malus cleric9. nec ſolum p contritionē cōfitentis: q2 tunc nunq̄ quis efficeret ibi de attrito contrit9. Sed opatur inſtrumētaliter abſolutio ad remiſſionem diſponēdo ad gratiā. et niſi opponat̄ obſtaculū fit de attrito contritū et iam cōtritio adauget gratiam. hec Pe. de pa. cui accor. Tho. et fit hoc virtute clauiū que dicunt̄ plures in effectu quia vna eſt ptās diſcernēdi: alia diffiniēdi: vna tamē eſt eſſentialiter ſcz ptās iudicādi in foro anime collata a deo et in aīma impſſa delebiliter p ſuſceptionē ſacerdotij. hec Pe. Scd̄m vero Ray. nota q̄ triplex eſt iudiciū. ſcilicz dei petri. et celi. In primo abſoluitur peccator per contritionē. In ſecūdo ſcz iudicio petri. id eſt cōfeſſionis per abſolutionē ſi tamē prius ſit abſolutus a deo ſaltem ordine: alioquin non. Unde dicit̄. xxiiij. q. i. c. manet petri priuilegiū quando ex equitate fertur iudicium. In tercio id eſt iudicio celi id eſt curie celeſtis abſoluitur per approbationem. de pe. di. i. Alio modo et alijs verbis dicit̄ triplex iudiciū.

Primū dei. Secundū petri in ecclesia militanti. Terciū sursū in ecclesia triumphāti. Primū est de quo deus mūdat animā in contritiōe: et hoc p̄cedit reliqua duo scȝ tempore dignitate et effectu. est em̄ ille q̄ claudit et nemo aperit: apit et nemo claudit. Secundū qd̓ sequit̄ post illud est iudiciū sacerdotis: q̄ auctoritate clauiū ligat vel soluit eo mō quo paulo ante dictū est Terciū quod sequit̄ est iudiciū approbationis scȝ celestis curie ad angeloꝝ.

¶ Forma verboꝝ absoluendi penitentiā.

Dicit Pe. de pa. q̄ homo qui ignorat vtrum vnq̄ fecerit vnā p̄fectam confessionē expedit q̄ in omni cōfessione sacramētali post omnia pctā sua specialiter enumerata sequat̄ generalis clausula scȝ de omnibus aliis mortalib' et venialibus cōfessis et non confessis ac oblitis dico meaȝ culpam. et sic sequit̄ absolutio: et sic valebit ad remissionē culpe et pene etiā mortalis et scite ac etiā oblite: ad quā tamen nō tenebatur alias in speciali confiteri iterū quia scilicȝ sufficiēter confessus est.

¶ De forma et vi verboꝝ que requirunt̄ in absolutione.

Forma aūt absolutionis scd̄m Tho. in tractatu de forma absolutionis est hec quantū ad substantiā. Absoluo te: et cōsueuit addi ego: et a peccatis tuis. et si non diceretur subintelligeret̄. quia em̄ in sacramētis verba habent efficatiā et institutionē tenenda sunt determinata verba consonantia institutioni diuine dicēti. Quecunqȝ solueritis: et ista verba conueniūt: ego te absoluo. Idem Inno. et Hostiē. De ista et aliis formis diuersis absolutionis ab excōicatione et peccatis dicet̄ infra in fine interrogatorij. Solet autē papa aliqn̄ tantā facere gratiam quibusdā vt ab omnib' censuris ꝛ penis simpliciter iuris et ab homine latis possit absolui in foro saltem conscientie: et tunc confessor potest ista forma vti quaȝ a curia romana habui et vsus sum.

¶ Forma abſolutionis ab omnibus cenſuris et penis tam a iure q̄ ab homine latis.

De plenitudine ptātis apoſtolice cuiꝰ auctoritatē pro pſenti gero. Abſoluo te ab omnibꝰ cenſuris eccleſiaſticis ſentētijs et vinculis excōicationum ſuſpenſionū et interdicti tā ab homine q̄ a iure latis: necnon ab omnibꝰ negligentijs et defectibꝰ cōmiſſis in ſacramentorū adminiſtratione officijs actibus tuis vel noīe tuo factis ſuplēdo de ſolita apoſtolice ſedis clemētia omnes defectus eorundē: aboleo et omnē maculā infamie et inabilitatis vndecunqꝫ cōtractis: diſpenſoqꝫ tecum ſup omni irregularitate ſymonia in ordine et benefitio actiue vel paſſiue quacūqꝫ occaſione vel cauſa etiaꝫ circa te in collatione ordinū et aliorū ſacramentoꝝ contractis ſeu commiſſis: reſtituo te et abilito te ad ſtatū: famam: honorē et executionem officioꝝ eccleſiaſticoꝝ quorūcunqꝫ: ac ad omēs gradus dignitatū et honoꝝ ad benefitia eccleſiaſtica habita habēda: ꝛ tibi et his q̄ habes de nouo ꝓuideo relaxādo tibi fructus quos male ꝑcepiſti ſeu leſa cōſcientia ex eiſdem: ac alia que in ludo ex ſucceſſione ꝛ alias ad te ꝑuenerunt q̄ ſubiacent reſtitutioni vage in forma pleniſſima. In noīe patris et filij et ſpiritꝰ ſancti Amen. ¶ Si autē aliquis dubitat an ꝓ iſtis ſpecialis exigatᷓ forma abſoluēdi neceſſaria qui a ſede apoſtolica habēt priuilegiū ꝙ in articulo mortis dumtaxat ſemel pſīt abſolui et habere plenā remiſſioneꝫ oīm ſuoꝝ peccaminū. id eſt a culpa et a pena: vt aliqui exprimunt requiritᷓ ſcđm ꝙ a magiſtris tā in cōcilio cōſtantienſi q̄ baſilienſi dictū fuit ꝙ non: ſed ſufficit ꝙ ea omnia et ſingula faciat ꝓ quibus pſata indulgētia datᷓ ꝓut in bullis vel priuilegijs taliū exprimitᷓ: nec putet aliquis ꝙ in articulo mortis fuit ſemel abſolutus plenarie: et vſus eſt illo priuilegio ꝙ poſtea in alio articulo mortis vti illo iterū valeat: niſi papa latiorē auctoritatē daret q̄ dat quādo ponit ꝙ

in articulo mortis dumtaxat ſemel: et ita viſum eſt in cōcilio ↄſtantienſi alio a clariſſimis viris pluribꝰ de hoc requiſitis. nec mirum: quia priuilegiū de indulgentijs tantum valet vel dat quantū ſonat: non aūt extendi debet vltra.

¶ Quid fiendū quando confeſſor abſoluit penitentē de quo non debuit.

Sed quid de ↄfeſſore qui abſoluit confitentē de quo nō debuit aut ex ignorātia vel verecūdia: vel feſtinatione vel hmōi. et confeſſor poſtea experit̄ ſe erraſſe: nunqd tenetur cōfitenti hoc dicere. Reſpondet̄ ſcđm omnes: ꝙ cōfeſſus excuſatus eſt et corā deo abſolutus interim ꝙ neſcit: licꝫ confeſſor non dicat q̄d ergo faciat. Collatō facta fuit de hoc cum multis notabilibꝰ doctoribus theologie in cōſilio baſilienſi. Nam quidā dixerunt ꝙ confeſſor debꝫ auctoritatē a ſuperiore impetrare abſoluēdi eum: et ſi ſine magno ſcandalo fieri pōt vocare non abſolutū et ſibi dicere: ac eū ſoluere poſt auditā confeſſionem: vel ſi magnuꝫ ſcandalū timeretur abſoluat eum abſentē ſi ab vltima cōfeſſione adhuc ſperat̄ eſſe in gratia. Aut vt alijs placuit ſi notabile ſcandalū timeret̄ ſummo ſacerdoti deo committat et ſolā condignam penitentiā pro eius negligētia peragat cōfeſſor: p̄ſertim quādo multitudo ſic eſt neglecta vel multi con diſtant a loco vbi eſt confeſſor.

¶ Quid de confeſſore qui non intelligit penitentem.

Quid etiam ſentiendū eſt de eo qui confitet̄ et confeſſor non intelligit eum: aut ex dormitiōe: aut ex imperitiā vel diſtractione nimia vel ſimili caſu. Reſpondet Jo. de bar. theologus antiquꝰ doctor in quodlibꝫ. ſuis. Sacramētalis abſolutio ideo exigit confeſſionē: omnis vero confeſſio importat reuelationē que non poteſt eſſe ſine relatione vniꝰ et perceptione alterius. Cum ergo alterū iſtorum deficiat ſcꝫ percep

tio ſacerdotis in prefato caſu: de illo peccato nõ credo eſſe con-
feſſionem: et per conſequens nec impendi abſolutionẽ. hec ille.
Sed iſtud videtur debere intelligi vbi abaudita ſunt peccata
grauia que ſunt de neceſſitate ſalutis confitẽda: non de alijs q̃
cadunt ſub conſilio: et vbi talia modica obaudiunt raro ab eo
qui alias noſcit pſonam.

¶ An penitens teneatur iterare penitentiam ei iniunctã in peccato mortali factam in toto vel in parte: et an dicta penitẽtia taliter facta ei valeat in foro militantis eccleſie. § . vij.

Utrum vero penitentiã ſeu ſatiſfactionẽ impoſitã per abſolutionẽ debitam in peccato mortali factã: vel in toto vel in parte teneat homo iterare. Super hoc varie ſunt opiniones: in hoc tamẽ omnes concordant q ſatiſfactõ facta in mortali ita non valet ſicut nec alia opera facta in mortali valent in foro dei et tollendum vel diminuẽdum debitum pene pro peccatis ad quod ordinat omnis ſatiſfactio. quia cũ non ſit in amicitia cum deo non poteſt eſſe acceptũ tale opus ipſi deo ſit factum. Sed vtrũ valeat in foro eccleſie militantis ita q non teneatur eam iterare: in hoc eſt varietas opinionũ: et aliqui dicunt q tenetur iterare: quia cum non potuerit ſatiſfacere ſacerdoti qui in perſona dei illud ſibi iniunxit. Sed Pe. taran. et Jo. peri. vident ſimpliciter dicere ſine diſtinctione q talis non tenetur iterare tales ſatiſfactiões: quia ſatiſfecit in foro eccleſie militãtis in quo date ſunt et vbi non iudicatur de diſpoſitione interiori. Idem vident ſentire Uincen. in ſpeculo hyſtoriali. li. ix. et de Anibal. in. iiij. Et p iſta opinione videtur ſatiſfacere impoſitio ſeptennis penitẽtie que regulariter fiebat pro quolibet mortali antiquitus. vt. xxij. q. i. c. predicandũ. Et veriſimile eſt q in tanto interuallo aliqd mortale cõmittebant vnde ſi oportuiſſet iterare fuiſſet laqueũ imponere animabus

Tho. vero cum Alber. in. iiij. diſtinguit de ſatiſfactiõe. dicit eñi
ꝙ quedã ſunt ſatiſfactõnes in quibus remanet aliqs effectus
in ſatiſfaciẽtibus: etiam poſtqꝫ actus ſatiſfactõis tranſit: vt in
ieiunio remanꝫ corporis maceratio vel debilitatio: ex elemoſi-
na ſubſtantie diminutio. et tales ſatiſfactões in pctõ non opor
tet iterare. quia quantũ ad illud qđ ex eis remanet ꝑ peniten-
tiam ſequentẽ accepte ſunt. Alie vero ſatiſfactões ſunt q̃ non re
linquũt effectũ in ſatiſfactione poſtqꝫ tranſit actus. ſicut in ora
tione et hmõi. Actus eñi interiori qui totaliter tranſit nullo mõ
viuificaẗ. vnde oportet ꝙ tales ſatiſfactiões itereñẗ. Eandem
opi. tenet Pe. de pa. magis declarãs. Dicit eñi ꝙ in ſatiſfactio-
nibus habẽtibus effectum derelictũ poſt opus. vt elemoſyna
ꝓuationẽ eris: ieiuniũ corporis debilitationẽ et hmõi: ſi poſtea
peniteat et pſeueret. Sicut baptiſmalis caracter habet effectũ
recedente fictione: ſic et iſtud derelictũ ex ſacramẽto quod opa-
tur ex opere opato incipit valere ex ſequẽti eius approbatiõe et
ſacerdotis ratihabitõne cum illũ vere penitet et nõ ex ſimplici
viuificatiõe: quia opus operans mortuũ nunqꝫ viuificaẗ: et ſic
illa penitẽtia ſatiſfacit: nõ ſolum in foro eccleſie ſed etiã in foro
dei quantũ ad illud derelictũ vt non oporteat iterare: ſicut ieiu
nium: elemoſyna et hmõi. Sed ſi nõ habent effectũ derelictuꝫ
vt oratio: talis penitentia facta in mortali nullo mõ ſatiſfacit
quĩn hic vel alibi oporteat ſatiſfacere: qđ videtur intelligendũ
in foro dei. qꝛ nec ratione ipſius opis cum facit: nec ratiõe dere-
licti cũ poſtea penitet eum cũ non habeat effectũ derelictũ: ſed
in foro eccleſie ſatiſfacit. qꝛ non eſt neceſſe eã iterare ſi vult eſſe
in ſtatu ſalutis: poſtea penitẽdo ſicut neceſſe habebat ipſã im
plere cum fuit ſibi ĩpoſita. Unde idem Pe. dicit paulo ſupe-
rius ꝙ quando homo eſt de omnibus cõtritus et confeſſus ⁊
accipit penitentiã cum abſolutõne ſi recidiuans paget eam in
mortali ipſe quideꝫ ſe liberat ab iniũctione ſacerdotis nec incur-

rit peccatū inobedientie qđ incurreret ſi eam non perfeciſſet. q2 nō eſt fortius vinculū confeſſionis ꝙ̄ dei vel eccleſie ſed in mortali exiſtens implendo p̄ceptum dei ſcʒ de honore parentū vel preceptū eccleſie: vt de ieiunio et de elemoſina ab iſto abſolute ſe liberat: ergo ꝛc. hec Pe. Cum ergo penitētia iniuncta ordinetur ad tollendū vel diminuendū debitum pene temporalis talis qui penitentiā ſibi impoſitā non habentē effectum derelictū orationes pfecit in mortali: ſi reuertitur ad penitentiā et tandē moritur in ſtatu gratie: exquo illā non iterauit cum per ipſaʒ nil' ſit ſolitū de debito temporal': ſoluat eum in purgatorio niſi per alia bona hic ſatiſfaciat ꝙ ſi non reuertat̄ ad penitentiam qui penitentiā perfecit in mortali quacunqʒ: ſiue habentē effectum ſiue non habentē derelictū ſoluet illud debitū in inferno ſemp. ſicut ille qui moritur cū mortalibus et venialib' de vtriſqʒ ſoluet penā in inferno. quāuis enim pro venialibus debeat̄ pena tēporalis que finem habet tamen p accidens eſt ꝙ venia le puniat̄ in inferno pena eterna ſcʒ ratione ſtatus. q2 in inferno uulla eſt redemptio. Non em̄ eſt ille ſtatus expiandi culpā ad quā ſequitur pena: et ideo ſemp remanente culpa veniali durat et pena. Ita tenet Tho. in. iiij. di. xxij. Sed de pena temporali debita p mortali poſt cōtritionē. Pe. de pa. ſic declarat in. iiij. Peccator poſtꝙ̄ eſt deo recōciliatus eſt debitor pene finite non qualitercūqʒ ſoluende: ſed in ſtatu gratie in quo ſolū eſt deo accepta. Alioquin eſt debitor pene tante quantā meret̄ culpa: et illa eſt infinita. vnde peccatori per ſe debebat̄ quidem pena infinita ſi erat in mortali: ſed mutata fuit in temporaleʒ ſuppoſito ꝙ pſeueraret in amicitia. Acceptauit em̄ deus abſolutionem a pena eterna et impoſitionē pene finite ſub conditione ſi in gratia fieret. Et ſi querat̄ quare deus magis acceptauit abſolutionē a culpa ſine conditione ꝙ̄ abſolutionē a pena. Dicendū eſt ꝙ culpa tranſit et macula tranſit et gratia in

momento aduenit: ſed ſatiſfactio futura eſt: futuris aūt ſolet
conditio apponi: non autē p̄ſentibus nec p̄teritis vel ſi appona-
tur certa eſt: qꝛ ſi eſt in gratia pro tunc non pōt eſſe ſine gratia
ideo remiſſio culpe fit ſine conditione vel fit ſimpliciter qꝛ condi-
tio extitit. Unde ſicut p̄ ſacramētum non remitteret̄ culpa niſi
adeſſꝫ gratia: ſic nec poſtea p̄ ſatiſfactionē remittitur pena: niſi
adſit gratia. Talis ergo dimiſſa culpa puniet in inferno pena
infinita: non ꝓpter cōmutationē finite in infinitā: ſed quia debi
tor eſt pene infinite: ex quo nō ſoluit penā finitā ſub conditione
qua debuit. ſicut ꝑdens priuilegiuꝫ cleri incidit de foro meriti
ad forū ſanguinis: ſic qui declinat forꝝ eccleſie incidēs in morta
le ad forū iuſtitie exterminātis inuenit penam eternā. Hoc qđ
dicit Pe. videtur intelligendū de eo qui penitentiā iniunctam
non habentē effectū derelictum factā in mortali ſcito ab eo vel
de quo dubitabat cōtemnit iterare: vel etiam credit vl̄ dubitat
ſe debere iterare ex negligētia dimittit: et ex labore recuſans hic
et in purgatorio facere emendā deo. Sed ſi quis dimittit itera
tionem talis penitētie ex impoſſibilitate quia ei deficit vel credit
ſe eam feciſſe in ſtatu gratie: vel ſi fuerit in mortali cognitio ab
eo vel etiā ſi ſcit eam feciſſe in mortali iterare facit p̄ alium quē
credit bonū vel etiam ſi nec p̄ ſe nec per alium iterat credit ſibi
ſufficere ad ſalutem ꝙ impleuit ſibi iniunctā intendens qđ hic
fecit minus fecit ſatiſfacere in purgatorio: et ſic deo facere emen
dam per hmōi omiſſionē talis non damnat̄. vnde et ipſe Pe. di
cit. diſt. xlv. q. ij. ꝙ qui facit penitētiam iniunctā in mortali pro
ſe pro tanto nō teneretur iterare: quia pōt in purgatorio ſatiſface-
re: et ſi dicatur ꝙ videt̄ inconueniēs ꝙ tantuꝫ quis puniatur
pro peccato dimiſſo quia pena eterna: et ſic non videt in aliquo
ꝓfuiſſe contritio et cōfeſſio. Reſpondet Pe. ꝙ licet tante puniat̄
extenſiue non tamen intenſiue ſicut pro vno peccato ita diu ꝙ̈
pro mille ſed non tam acerbe. Si etiā partem penitētie fecit ſcꝫ

in ſtatu gratie: et vnus dies remāſit pro illa die eternam luet penam ſi non penitet: tamē non tam acerbe ac ſi nunq̄ꝫ contritus nec confeſſus eſſet nec in aliquo ſatiſfecidet alias peccatuꝫ rediret. Hec Pe. de pa.

¶ Remedium tutius ſiue conſilium dandum penitenti qualiter pficere debeat penitētiam ſibi iniunctam: ⁊ que penitentia debeat ſibi dari ſecurior.

Nota tamē q̄ dum quis facit penitētiam ſibi iniunctam: ſi labat̄ in mortale quāuis bonū ſit quā citius confiteri: tamē cum per ſolam contritionē peccatū dimittatur et gratia reſtituat̄ quācito ipſe conterit̄: etiam anteq̄ꝫ cōfiteatur pſequendo dictā penitentiā etiam ſi ſit talis penitētia que nō relinquat effectū poſt ſe in foro dei realiter ſatiſfacit: q2 in omni ſtatu gratie eſt. vnde in nullo tenet̄ iterare. ad tollendum aūt omne dubiū tutius videt̄ q̄ confeſſor et ſi dat penitentias diutinas det penitētias vt ieiuniorꝫ elemoſinarū pegrinationū et hoc put requirunt pctā: non tn̄ iniungat diuturnas penitētias orationū. et pcipue his de quibus pōt dubitari

¶ De celatione cōfeſſionis et de penitētia de recidiuo. ſacerdotis confeſſionē reuelantis. §. viij.

Notat Tho. in. iiij. di. xxi. q̄ audiens confeſſionē tenet̄ celare audita in ipſa. quia in ſacramētis id qđ gerit exterius eſt ſignum eius qđ gerit interius. vnde ſicut deus homini confitenti tegit peccatū interius: ita ſacerdos debꝫ celare exteri9 vnde tanq̄ꝫ violator ſacramēti eſt reuelator confeſſionis. Eſt et alia ratio. quia ſcꝫ per hoc hoies magis trahunt̄ ad confeſſionē et ſimplicius cōfitentur. vn̄ ſi ex hoc aliqđ piculum futurum immineret et hoc ſolū ſciret p confeſſionē vt de heretico q̄ corrūpit fideles vel de matrimonio illicito qđ aliqui volūt contrahere vel de pditione ciuitatis fienda nō ppter hoc debꝫ reuelari ɔfeſſio ad impediendū malā vt quidā dixerūt. ſed falſū eſt.

Debet autē monere eos qui confitentur vt obuient vel desiſtant: et p̄lato dicere ꝙ vigilet ſup gregem ſuū et huius ſine vlla reuelatione. hec Tho. ꝙ ſi iudex inquireret ab aliquo an ſciat aliquid de illa materia per confeſſionē vel p alium modū. Dicit Guil. ꝙ ſi non pōt alio modo declarare iniquū iudicem pōt reſpondere nihil tamen ſcio. qđ ſubintelligit vt homo: vel etiam nihil ſcio per confeſſionē: quia ſubintelligitur tibi reuelandū: ſic exponit illud Math: xxiiij. c. die illo et hora nemo ſcit: nec filius hominis et ſubintelligit reuelandū vobis. Poteſt et hoc variare homo cū non adducit in teſtimoniū niſi vt homo. et ideo abſqꝫ leſione cōſcientie poteſt intrare ſe neſcire id qđ ſcit tantū vt deus Sed neqꝫ etiā ſcđm Pe. de palu. in. iiij. diſt. xxi. per licentiā vel p̄ceptum cuiuſcunqꝫ ſupioris factum etiā pape ſub pena excōmunicationis nō licet reuelare confeſſionē. quia ſigillū confeſſionis eſt de iure diuino et de neceſſitate ſacramēti. Papa aūt licet aliquando diſpenſat in p̄ceptis diuinis vt in votis quorum redditio eſt de iure diuino: nō tamen pōt diſpēſare in ſacramētis: ſcꝫ vt quis non baptizet vel confirmetur vel nō confiteatur et quia dictū eſt celationē confeſſionis eſſe de neceſſitate ſacramenti: non ſic intelligit ꝙ ſit verū ſacramentū: etiā ſi ipſa confeſſio non celaretur: quia vtiqꝫ eſſet ſacramentū etiā ſi ſacerdos reuelaret. quia nec ſic eſt de neceſſitate ꝙ deus tegat ꝙ ſi non ſatiſfaciat deus nō tegit: ſed reuelat ad penā aut ſi accedat fictus deus nō tegit: et nihilominus ſacerdos tenet celare: ſed dicit celatio confeſſionis de neceſſitate ſacramenti. quia natura ſacramēti neceſſitatem ad celandū. natura dico quantū ad id quod eſt ſacramentū qđ fit in occulto ſolus cū ſolo: et quantū ad id qđ eſt ſacramentū eſt res ſcꝫ penitētia interior que etiā eſt occulta: et quantū ad rem tantū q̄ eſt remiſſio peccatorum p quā tecta ſunt pctā. ¶ Nota ſcđm Pe. de pa. quia quod dicit Tho. ꝙ occultatio cōfeſſionis eſt de eſſentia ſacramēti: et ſic eſt intelligendū ꝙ

ſit eius materia vel forma eiꝰ: ſed ꝙ eſt de natura eius obliga
tio ad occultationē: ſicut ſi diceremus de eſſentia leuis eſt fieri
ſurſum: vel de eſſentia matrimonij eſt reddere debitū. i. obliga
tio ad ipm. Eſt aūt peccatū mortale reuelare confeſſionē. qꝛ eſt
cōtra ius diuinū et poſitiuū: vnde et grauiter punit ab eccſia.

¶ Penitētia confeſſoris confeſſionē reuelantis.

SAcerdos reuelās confeſſionē de iure antiquo debꝫ de-
poni et toto tpe vite ſue ignominioſus pegrinari. de
pe. diſt. vi. c. ſacerdos. ſed ſcðm. c. omnis. de pe. et re.
debꝫ deponi et ad agendā ppetuam penitentiā in monaſterio
arto intrudi ſed ſcðm Hoſti. faciat penitētiam certo tpe et ex-
inde aliā. Sed hec penitētia imponēda eſt quādo quis in iu-
dicio conuincitur de hoc vel fatetꝛ de iure. nam alias in foro peni-
tentie videtꝛ eſſe arbitraria ſicut pro alijs pctis. Quāuis autē
poſſit cōfeſſor de licentia penitētis manifeſtare eius peccatū al-
teri ſcðm Tho. et Pe. non tñ debet vti licentia tali niſi ad eui-
tandum aliqđ malum: tenetur tñ ille cui aliqđ reuelatꝛ de licen
tia penitētis illud celare: niſi forte pctōr velit ꝙ ille abſolute ⁊
libere ſciat. Licentia tñ quam dat penitēs confeſſori de reuela
tione peccati quantūcunqꝫ generalis nō intelligitur niſi ad bo-
num cōfitentis ſcðm Pe. de pa. ¶ Sed nota ſcðm eundē ꝙ ſi
iudex diceret alicui capto pro maleficio da licentiā confeſſori ꝙ
dicat ſi tu es cōfeſſus de hoc vel de illo nō tenetur dare: nec ex
hoc cōtra eum debꝫ haberi ſuſpitio de licito: quia forte hoc facit
ꝓpter vitandum ſcandalū: ſed ⁊ ſi daret licentiā ſic licentiatus
debet dicere peccatū illud ſi eſt cōmiſſum ¶ Itē ſi p̄cipet p̄la-
tus alicui cōfeſſori ꝙ diceret ſibi peccatū alicuius qđ eſt omni
no occultū: etiā ſi confeſſus dediſſet licentiā illi ꝙ diceret nō te
netur dicere neqꝫ obedire vt reuelet illud: qꝛ p̄latus nō eſt iu
dex occultoꝝ. immo etiā ſi confeſſus eſſet diffamatꝰ de illo pec-
cato et ꝑ infamiā ꝑueniret illud ad cognitionē iudicis. q̄uis

ipſe cōfeſſus interrogat⁹ a iudice ſiue prelato teneret ſe maniſe
ſtare: tamē confeſſor eius etiā habita licentia ab eo dicēdi non
tenet dicere iudici ſibi pcipienti vt dicat etiaꝫ ſi ſcit: nec debet. q2
fori non ſunt cōmiſcendi ſcꝫ penitētialia et cōtentioſus. Sed ſi
confeſſor ſcit peccatū alicuius non ſolū per confeſſionē: ſed etiaꝫ
p alium modū: puta q2 vidit vel audiuit p talem et talē mo/
dum pōt dicere ꝙ illud vidit vel audiuit: dummō non dicat ſe
ſcire illud p confeſſionē nec refert vtrū prius p confeſſionē audi/
uerit: poſtea p alium modū ſciuerit et ecōuerſo. In quo caſu
ſcꝫ ſi prius ſciuit peccatū ante confeſſionē non oportet ꝙ ꝓteſte
tur ſe non recipe illud in cōfeſſione: quia ſine ꝓteſtatione pōt di
cere quantū ſcit extra confeſſionē: nec tamē debet hoc dicere ſine
magna cauſa et rōnabili. Item ſcđm eundem Pe. cū confeſſio
non auferat cōfeſſori ius ſuū: nec conferat ei ius nouū in alio
foro quicqd videtur confeſſori faciendū vel omittendū pro bono
ipſius cōfitentis vel p bono cōmuni poteſt facere vel omittere:
dūmodo ꝓpter hoc non reueletur confeſſio ad qđ ſoluꝫ obligatur
licet alias illud non eſſet facturus. vnde per confeſſionē prioris
vel alterius ſcit abbas ꝙ non expedit priori tenere monaſteriuꝫ
⁊ ſit talis qui alias ad libitū poteſt amoueri: expectet quouſqꝫ
ſine nota reuelatiōis poſſit eum amouere: et tunc ſtatim amo/
ueat. cum eniꝫ ex audientia cōfeſſionis non obligetur ad aliquid
niſi ad celandū: et ſi obligaretur ad aliquid: hoc eſſet ad meden/
dum anime penitētis ſicut medic⁹: abſqꝫ tamē reuelatione con
feſſionis: ex quo aliquē in cura ſuſcipit tenetur ſibi dare remediuꝫ
contra recidiuū: et ſic in ꝓpoſito quācito poteſt amonere ammo
neat quē etiam ſine hoc amonere poterat. Si auteꝫ talis erat
qui non ſine iuſta cauſa amoneri poterat cum audiētia confeſ/
ſionis nulluꝫ ius ſibi prebeat in alio foro in quo nō conſtet ſibi
vt iudici amoneri non pōt idem Tho. Item quia plātus li/
centiam intrandi ciuitatē ſiue villam ſubito dare pōt ad libitū

vel negare: licet alias non eſſet negaturus ꝓpter periculum q̄d ex ſola confeſſione nouit negare poteſt: dum tamē ex hoc ſuſpitio non oriatur. In occulto tamē ſemper monere poteſt illum qui confeſſus eſt: quia hoc non eſt reuelare confeſſionē. Similiter curatus ꝓpter confeſſionē poteſt negare cōmunionē quando eam dare alias tenetur vt in paſchate alias ſic dicens. tibi non teneor nūc dare: non obijtiens de crimine cōfeſſo: non propter hoc dicitur reuelare confeſſionē. Sed ſi alicui conquerenti contra ſuū parrochialem ſacerdotē: quia non vult ſibi dare eucariſtiam ipſe ſacerdos corā alijs diceret ꝙ hoc facit: quia habꝫ peccatū a quo non poteſt abſoluere: et ipſe non vult ire ad epiſcopum: hoc eſſet reuelare cōfeſſionem: quāuis enī non intenderet hoc. quia grauitateꝫ peccati expreſſit. hec Pe. de palu. Et idem eſt cum dicit ſe audiuiſſe quendā nominādo eum et non abſoluiſſe. Similiter de epiſcopo qui per cōfeſſionem nouit corruptionem monialis que petit bn̄dictioneꝫ. quia aut eſt caſus in quo tenet: et tunc negare nō debet quia ſi p confeſſionē eiuſdem ſibi conſtat: nō tamē ſibi cōſtat vt iudici in illo foro in quo ſicut ab ordinario monaſterij petit monial' benedictionē: et quelibet ꝓ ſeipſa. Si aūt hoc ſcit p confeſſionē eius q̄ vidit: vel qui eā corrupit non ſufficiēter conſtat: etiā ſi extra confeſſionē dicat. vn̄ negare nō debꝫ. Si aūt aliter ſcit: non tenet benedictionē impartiri: et pōt ſine reuelatione cōfeſſionis negare ita confitenti ſicut non confitenti. Et q̄d dictum eſt de bn̄dictione monialiū ſcꝫ virginū. ¶ Item eſt de benedictiōe abbatiſſarū vbi virgines cōmuniter benedicūtur ſcd̄m quoſdam qui dicunt ꝙ licet aliqua poſſit eſſe abbatiſſa vidua: ſicut Paula mater euſtochij: tamen abſurdū eis videtur ꝙ monialibꝫ benedictis poſſit abbatiſſa preeſſe carens illa benedictiōe ſicut etiam ſcd̄m iura profeſſis non debet nocitia preferri in abbatiſſam. ymmo nec profeſſam tacite nec expreſſe. de ete tio. capitulo. indennitatibus.

in princi.li.vi.qua tamē quod nō eſt ꝓhibitum cōceſſum eſt: ideo videt̄ ꝙ benedictio abbatiſſarū quarūcunqȝ non requirat virginitatē magis ꝙ̄ abbatū cum nō ſit iure cautū: ſicut de benedictione virginū. Pe. de pa. Similiter quia homo habȝ liberam electionē per ſolā confeſſionē: licet p ſolam confeſſionē ſciat aliquem indignū ad p̄latione ad quam eligit̄ quem alias putabat dignū non debȝ eligere ex conſciētia ſibi ſic dictante: qꝛ eligendo ſciēter dignū vel indignū negotium gerit inter ipm̄ et deum. Unde pōt etiam ex his q̄ ſcit vt deus iudicare: ita et in ꝓpoſito: ſed bene putarem ꝙ pateret̄ penas iuris: puta ꝙ eſſet p̄uatꝰ iure eligendi et a fratribus p trienniū ſuſpēſus qui eligerȝ illum quē ſcit vt deus indignū ſed neſcit vt homo. quia de his q̄ ſcit homo vt deus: ſolū deum habet vltorē non hominem et hmōi. Pe. quāuis autē dimidiando confeſſionē non ſit ſibi ſacramentū tenetur tamē ſacerdos celare: quia pars eſt ſacramenti. Pe

Qui teneantur ad ſigillū confeſſionis. § .viij.

Dicit Pe. de pa. vbi ſupra ꝙ ad celandū confeſſionē tenetur is qui confitet̄ licite vel illicite: mediate vel imediate. Und̄ et ſacerdos qui in caſu neceſſitatis audit de mortalibꝰ et venialibus. Itē interp̄es quē p̄o ſe penitens adhibet. Item qui caſu audit. item cui de licentia cōfitentis reuelatur. itē qui ſe confeſſorē fingit. item qui latēter abſconditꝰ ꝯfeſſiones audit: qd̄ eſt ſacrilegiū et iniuriam facit ſacramēto. Item confeſſoꝛ anteꝙ̄ abſoluat: et etiam quādo non abſoluit tenet̄ celare. Item nota ꝙ cum quis recipit aliq̄d ſub ſigillo confeſſionis quāuis ei non fuerit cōfeſſus dicens: illud tamen debet ſecretuȝ tenere ac ſi haberet in cōfeſſione non quidem ratione ſacramēti quod ibi non eſt ſed ratione ꝓmiſſi ſi ꝓmiſit illud ſic celare. hec ſcd̄m Tho. et Pe. de palu. dicunt tamē Tho. et Pe. ꝙ homo non debȝ aliquid de facili recipe in confeſſione.

Addit quoq; Pe. de pa. ꝙ qui non tradidit vel accepit in con-
feſſione aliquid qđ non eſt confeſſio videt̄ facere irreuerentiā ſa
cramento: cum nil ſit eque celanduꝫ eo qđ ſcitur in cōfeſſione.
Similiter cū quis accepit ab aliquo cōſilium recōmandans vt
illud teneat ſecretū tenetur ad celandū: et frangens quodlibet
iſtoꝝ ſigilloꝝ ſiue ſecreti ſi eſt cōfeſſionis peccat mortaliter. Et
tamen q̄ quis recipit ſub ſigillo cōfeſſionis et nō in confeſſione
nō plus obligatur ꝙ ſi quis iurat tenere ſecretū aliquid. Unde
cum aliquis quādo iurat celare aliqđ malum qđ manifeſtan-
do cū aliis poſſit impediri: illud malū aufert̄. vt ꝓditio aliqua
et hmōi tenetur manifeſtare nō obſtante iuramēto. xxii. q. iiii.
c. inter cetera. ita et qđ accepit ſub ſigillo confeſſionis: et non in
¶ Ad q̄ ſe extendat ſigillū confeſſionis. ¶ .xi. confeſſione.

Dicit Tho. in. iiii. ꝙ directe nō niſi ad illa que cadunt
ſub ſacramētali confeſſione: indirecte autē non ſolū ſe
extendit ad ea q̄ audiuit ſub cōfeſſione vt peccata: ſed
omnia alia ꝑ que poſſit pctōr vel peccatū dephendi: vt ſi dice-
ret ꝙ non abſoluit eū vel talem cuiꝰ impedimentū cognouit per
confeſſionē ſoluꝫ: non eſt talis vxor: nihilominꝰ alia etiā que in
cōfeſſione dicunt̄ non ꝑtinentia ad confeſſionē ſummopē ſunt
celāda tum ꝓpter ſcandalū: tum ꝓpter promitatē que ex conſue
tudine ſequit̄ ad dicendū audita in cōfeſſione. Tho. Pe. de pa.
melius ꝓſequitur iſtā materiā dicenſ. ꝙ directe et principaliter
peccata confeſſa et circūſtantie inquantū hmōi: et ꝑſona tercia
cum qua quis confitet̄ ſe peccaſſe cadūt ſub ſigillo confeſſionis
licet quidā hoc negent de ꝑſona cum qua quis cōfitetur ſe pec
caſſe qđ tamen ipſe reprobat: et quādo ꝑ locutionē de peccatis
confeſſis pōt deueniri ꝑ ſe vel per accidēs: directe vel indirecte
vel ꝑ quemcunq; alium modū in aliquā cognitionē vel dubi
tationem vel opinationē vel ſuſpitōnem de confeſſione: vel in-
quantū pōt ei euenire detrimentū in aīma ſiue in corpore ſiue

in fama poſſeſſionibus vel amicis: vel pōt ꝓpter hoc ſcandalū in populo grauari: vel confeſſio magis odioſa vł nimis vilata vel magis oneroſa: vel nimis ꝓcioſa reputari debet' cōfeſſor ab hmōi locutionibus abſtinere: et qꝛ raro vel nunq̄ poteſt contingere quin ex reuelatiōe peccatoꝝ in confeſſione ſcitoꝝ et non per aliaꝫ viam poſſit ſequi aliquod de predictis inconuenientibus: quāuis forte nullū contingat: debet multū cauere ꝙ non dicat peccata audita in cōfeſſione quantūcunqꝫ generaliter loquať: vel quō dicat. hec Pe. Et magiſter Umbertus dicit ꝙ cauendum eſt ne vnq̄ dicat quis in ſermone vel alia locutione. Ego audiui hūc caſum in cōfeſſione. nec vnq̄ etiam debet dicere ꝙ in illa abbatia vel caſtro vel villa vł ciuitate in quibus audiui cōfeſſiones fiunt multa peccata et hmōi. quia ꝓpter hoc credūt ſimplices ꝙ hoc ſit reuelare cōfeſſionem q̄uis non reueleť pe. talia verba: ne ex hmōi locutione poſſet peccatū alicuiꝰ deꝓhendi. dicendo autē Jſte eſt mihi cōfeſſus ſua non eſt reuelare: qꝛ nil ponit in palā. quia ſi dixerimꝰ ꝙ peccatū non habemus ⁊c Sed dicendo ſibi ꝯfeſſum fuiſſe de magnis et multis peccatis hoc eſt reuelare confeſſionē ſcđm Pe. Bona autē alicuius opa que quis ſcit ex cōfeſſione puta qꝛ eſt virgo: vel quia nunq̄ peccauit mortaliter et hmōi licet dicere: niſi qꝛ ex hoc ꝙ vnus laudatur de hmōi: quaſi alterius peccatū reueleť cum non laudatur de eodē: quia qđ de vno diciť de alio negať. diſt. xxv. c. qualis. Unde ſi de duobus cōfitentibus dicit confeſſor ꝙ eſt virgo eſſet ſuſpitio cōtra alium ſi idē non diceret. vnde Pe. de palu. iſta dicit. et magiſter Umbertꝰ dicit ſimpliciter abſtinendū ab hmōi locutionibꝰ: addens. etiā confeſſor debꝫ cauere ne vnquā per aliqđ genus peccati oſtēdat confitenti minorē familiaritatē vel ſignū minoris dilectionis. Alia q̄ dicunť in confeſſione nec peccata nec valentia ducere in manifeſtatiōe confitentis: puta ꝙ in tali terra ſunt bona vina nō cadunt ſub ſigillo ꝯfeſſionis

¶ Quid fiendum qñ confeſſoꝛ indiget concilio ſup vno caſu.

Nota etiã ꝙ quando cõfeſſoꝛ indiget concilio alterius niſi habeat licentiã a confitente de pſona manifeſtan- da debꝫ loqui ita obſcure et caute ⁊ a remotis: vt nullo modo cõſulens vnq̃ poſſit ymaginari de pſona. Unde debet conſiderare pſonam et tempus ydoneum. nam quis audierit vnuꝫ clericum aduenientẽ: ſi confeſſoꝛ vadat ſubito ad interro- ganduꝫ de aliqua ſymonia et hmõi. nonne ſatis pbabiliter et quaſi violẽter habebit ille ſuſpicari de illo clerico. Et ideo in huiuſmodi magna cautela eſt adhibẽda ꝙ ſi cõfeſſoꝛ neſciret: vel non poſſet caſum exprimere ſup quo indiget concilio: quĩn ille conſultoꝛ intelligeret pſonam et illa non vult ſciri: debet ire ad alium pro cõcilio. ꝙ ſi alium ſufficientẽ habere nõ poteſt non ſe intromittat. vnde Pe. de Pa. dicit. Si non poſſet cõfiteri peccatum ꝓpꝛium niſi dicendo aliquod peccatũ per quod manifeſtatur confeſſio alterius: non debet illud confiteri: etiam ſi eſſet moꝛtale q2 ſufficit tunc contritio cum ꝓpoſito confitendi quãdo ipſe habebit copiã talis ſacerdotis cui illud peccatũ ſuũ confitendo non manifeſtet alterius cõfeſſio. Ratio eſt. quia foꝛtius eſt obligatio ad celandũ q̃ ad confitendũ. Si quis autẽ reuelat in confeſſione debita ſua et credita ſua et hmõi. Et quando et an ſacerdos poſſit alias reuelare. vide de hac materia plene in tercia parte ſumme.

¶ Explicit tractatus de confeſſoꝛe.

# ¶ Incipiunt vndecim excõmunicationes reſeruate ſedi apoſtolice tam a iure q̃ per pceſſum: ſiue p extrauagãtes: et breuiter recollecte. Deinde ſequũtur excõicationes reſeruate epiſcopis vniuſcuiuſqꝫ dyoceſis.

De iniicientibus manus violentas vel temerarias in clericū vel religioſum vel monialē vel alterā re/ligioſam pſonā papalis eſt abſolutio ſi iniuria eſt enormis. huius tamē declarationē vide in. iiij. parte in titulo de excōmunicationib⁹. et. xvij. q. iiij. c. Si qs ſuadente dyabolo. in decretis. ¶ De incendiarijs eccleſiarū vel alioꝝ locorū ſacroꝝ vel religioſoꝝ vel cimiterioꝝ eſt papalis excōmu/nicatio poſtq̄ ſunt denunciati: ſed per ep̄um poſſunt abſolui ante denunciationē. De hoc vide in. c. ꝯqueſti. et in. c. tua nos. extra. de ſen. excom. ¶ De effractoribus predictoꝝ locoꝝ ſacrorum qui etiā poſtq̄ fuerint denunciati: eſt abſolutio papalis ſed ante denunciationē eſt ep̄alis abſolutō. extra. de ſen. excom. c. conqueſti. ¶ De incendiarijs alioꝝ locorū non ſacroꝝ: de conſulentibus aūt fautoribus qui tales non ſunt excōicati a iure cōmuni: ſed ſunt excōicandi. Si tamē fuerint excōicati aliquo iure particulari: puta excōicatione ſynodali vel ab hoīe: et fue/rint denūciati: eſt papalis abſolutio. Unde de hoc in. c. tua. de ſen. excom. ¶ De falſantib⁹ litteras papales vel falſis ſciēter vtentibus. extra. de crimine falſi. c. dura. ¶ De apponētibus manū ad corrigendū etiam minimā literam vel punctū mini/mum: in his literis exceptis is quib⁹ eſt cōmiſſum: eſt papalis abſolutio ſcd̄m Hoſti. per ſententiā curie latā. ¶ De fingen/tibus nouā hereſim vel iam damnatā ſequentib⁹. iiij. q. i. c. i. et ij. extra. de here. c. ad abolendā. et nunc eſt caſus papalis per extrauagantē. Martini. v. vt patet in pceſſu ipſius annuali.
¶ De ſciſmaticis et pcipue de ſequētibus ſciſma. Petri de luna et ſucceſſoꝝ eius et fautoꝝ ipſius ſciſmatis eſt papalis ab/ſolutio per pceſſum curie. ¶ De credētibus receptatorib⁹ de/fenſorib⁹ et fautoribus hereticorū eſt papalis abſolutio: et quō intelligant iſta nomina. vide in ſum. ti. de excōicationibus. in quarta pte ſum. ¶ De cōmittentibus ſymoniā ſiue p ordini

bus: ſiue ꝓ beneficijs vel officijs vel ꝑlaturis eccleſiaſticis vel pro ingreſſu in religionem vel pro alijs ſpũalibus eſt abſolutio papalis per extrauagãtem. Martini .v. vide de hoc in ſecũda parte. ſum. ti. de ſymonia. ¶ De facientibus pactũ vel ꝓmiſſionem: vel recipientib' ex pacto vel ꝓmiſſione occulta vel manifeſta aliquid etiã parum ꝓ aliqua iuſtitia vel gratia ꝓ alio vel ꝓ ſe in cauſis iudicialib' ſeu pro litteris obtinẽdis ab apoſtolica ſede eſt papalis abſolutio p extrauagãtem Bonifacij. octaui. ¶ De ſcienter vtentib' talibus gratus vel litteris ſic obtentis eſt abſolutio papalis p extrauagantem Bonifacij. ¶ De piratis et quibuſcunqȝ alios in mari deꝑdantibus eſt papalis abſolutio p proceſſum curie. ¶ De impedientib' deꝑdantibus vel inuadentib' adducentes victualia ſeu alia ad vſum romane curie neceſſaria vel ne talia deferãtur aut adducantur ad curiã et de deffendentib' talia facientes eſt abſolutõ papalis p proceſſum curie. ¶ De capientibus detinentibus deꝑdantibus romipetas et ꝑegrinos ad vrbem romã accedentes tam cauſa deuotionis ꝙ ꝑegrinationis: et ſimiliter in ea morantes et recedentes ab ipſa eſt abſolutio papalis p proceſſum annualẽ qui fit in curia: et ſimiliter de dantibus cõſilium et fauorem ad talia ſupra dicta faciendũ eſt papalis abſolutio p proceſſum ¶ De portãtibus arma equos ⁊ alia neceſſaria ad impugnandũ chriſtianos vel trãſmittentibus ſeu galeas et naues vendentibus vel in piraticis ſarracenoꝝ gubernationem exercentib' vel dantibus auxiliũ conſilium ⁊ fauorem in diſpendiũ terre ſancte. extra. de iudeis. c. ad liberandã. et eſt caſus papalis p extrauagãtem Clementis et p ꝓceſſum curie. ¶ De portantibus etiã victualia et alia quecunqȝ mercimonia in alexãdriam vel in alia loca ſarracenorũ: terre egypti vel mittentib' ipſa vel de ſuis portubus vt eis deferãtur extrahẽtibus vel extrahi ꝓmittentibus: aut dantibus auxiliũ et fauo

rem: ⁊ eſt papalis ꝑ proceſſum curie. ¶ De portātibus predi cta vel aliquo mō predictoꝝ et ad hoc operantibus ad omnes ter ras ſoldano ſubiectas eſt papalis abſolutio ꝑ extrauagantem Clementis. ¶ De eūtibus ad terrā ſanctam etiā cauſa deuo tionis ſeu voti ſine licentia ſedis apoſtolice ⁊ eſt abſolutio pa palis ꝓut reperi in libro penitētiarie ſummi penitētiarij: qui ⁊ ipſe hoc pōt. ¶ De inſecutoribus cardinaliuꝫ hoſtiliter et eſt excōicatio papalis. ꝑ. c. felicis. de penis. li. vi. ¶ De banmienti bus epōs: vel capientibus et inſecutoribus: vel hoc fieri man dantibus: aut facta ab alijs rata habētibus: vel in his danti bus conſiliū et fauorem: vł ſcienter tales defendentibus eſt pa palis abſolutio. ꝑ. c. ſi quis. de penis. in clemen. ¶ De exem terantibus vel fruſtra cōcidentibus ſeu decoquere vel incidere aut oſſa de carnib⁹ euellere pſumentibus cuiuſcunqꝫ defun cti: vt eius oſſa ad partes alias deferātur eſt papalis abſolu tio ꝑ extrauagantē Bonifacij. ¶ De occupātibus vel detinē tibus vel hoſtiliter diſcurrētibus ꝑ ſe vel per aliū directe vel in directe ſub quocunqꝫ titulo vł colore: ciuitates: terra: loca: vel iura ad romanā eccleſiā ptinentia: et adherētibus fautoribus ac defenſoribus eoꝝ eſt abſolutio papalis ꝑ proceſſum curie.

¶ De his qui occaſione ſententie excōicationis ſuſpenſionis vel interdicti late dant licentiā eos grauandi qui eam tulerunt vel ſuos in pſonis rebus vel bonis illorū occaſione late ſunt: vel quia eas obſeruant: vel qui taliter excōmunicatis cōmuni care volunt: niſi licentiā ipſam integre reuocent. Similiter qui dicta licētia vſi fuerint vel etiā ſine licentia hoc fecerint ſuo mo tu excōicationem incurrūt: in qua ſi pmanſerint ꝑ duos men ſes eſt papalis abſolutō. vide de hac in. c. de dominis. in ſcōa parte. ¶ De his qui cogunt aliquē celebrare in loco interdi cto vel ad audienduꝫ conuocant excōicatos vel interdictos vel phibent interdictos: vel phibent eis ne moniti exeant et de his

qui moniti non exeunt. cle. grauis. de sen. excō. ¶ De his qui imponūt in terris ſuis noua pedagia: et eſt excōicatio papalis per ꝓceſſum curie. ¶ De laicis recipiētibus in Romana curia litteras domini pape de manu alicuius: niſi de manu domini pape vel bullatorum vel nuncij recipientis de manu predictorum.

¶ Excōicationes papales concernentes religioſos religioſaſqꝫ.

De clericis et religioſis inducentibus ad vouendū iurandum vel ꝓmittendū de eligendo apud eos ſepulturam vel vt eam vlterius non mutent iam electam excōmunicatio eſt papalis. ꝑ clemen. cupientes. de pe. ¶ De religioſis qui abſqꝫ ſpeciali licentia ꝓprij ſacerdotis ſollennizarēt matrimonia aut miniſtrarēt ſacramentū eucbariſtie vel extreme vnctionis. cle. i. de priuil. eſt excōicatio papalis. ¶ De religioſis qui excōmunicatos a canone abſoluūt a caſibus nō conceſſis: aut qui abſoluunt a ſententijs per ſtatuta ſynodalia vel prouincialia ꝓmulgata: aut abſoluūt a pena et a culpa eſt excōmunicatio papalis. ꝑ cle. i. priuile. ¶ De inquiſitorib⁹ hereticorū qui odio gratia vel lucro et amore contra iuſtitiā et conſcientiā omiſerint contra quēpiam ꝓcedere: vel ipſam hereſim alienis imponerēt: aut imponerent ꝙ impedirent officium ſuū eſt excōmunicatio papalis. ꝑ cle. multor. de here. ¶ De mendicātibus ꝓfeſſis qui tranſeunt ad aliquā religionē monachalem excepto ordine cartuſienſiū et recipiētibus tales ſcienter eſt excōicatio papalis per conſtitutiōem Martini factā conſtantie.

¶ De clericis ſcienter et ſponte cōicantibus excōmunicatis a papa in diuinis eſt excōmunicatio papalis ſcdm Hoſt. Iſta excōicatio tamen habet dubiū. extra. de ſen. excom. c. ſignificauit. ¶ De participantibus in crimine ꝓpter quod aliquis eſt excōmunicatus aliqua ꝑdictarum excōicationū eſt excōicatio papalis. ꝑ. c. ſi concubine. extra de ſen. excom.

¶ De his qui abſoluūtur ab aliqua pdictarum excōicatio-
num citra ſedē apoſtolicā preterq̄ in articulo mortis qui tali-
ter abſoluti ſi non ſe repñſentent quācitius poſſunt ei a quo pñt
abſolui: vl mittant p abſolutione reincidūt in eandem ſcʒ pa-
palem excōicationem. p. c. eos. de ſen. excom. li. vi.

¶ Excōmunicationes epis ex iure reſeruate.

De verberantibus clericoſ religioſos vel moniales ſeu talibus man⁹ violentas nuncientib⁹ ſeu temerarias eſt epalis excōmunicatio ſi fiat leuis iniuria talibus per. c. puenit. extra de ſen. excom. ¶ De his qui innitunt or-
dinationibus ſeu alienationib⁹ a ſciſmaticis factis eſt epiſco-
palis. p. c. i. extra. de ſciſma. ¶ De his qui vſurpāt de nouo va
cantium eccleſiarū monaſteriorū vel aliorū piorum locoꝝ cu-
ſtodiam: ſeu guardiā titulum aduocatiōis ſeu defenſionis: q̄
ꝓprie ſunt nomia patronatus vel ipſorum locoꝝ vacantiū bo
na occupāt: vel regalia id eſt collectā que fit ratiōe regis vel im
peratorū ſeu tributū regi debitū. vt in. c. generali. de elec. li. vi.
¶ De clericis vel monachis ipſoꝝ locorum vacantiū qui hoc
fieri pcurant: et hec excōicatio cum priori habet̄. excōicatio eſt
epalis. per. c. generali. de elec. in. vi. ¶ De his qui ab eccleſijs
vel pſonis eccleſiaſticis p ſe vel per aliū ſua nomie vel alieno
pro pſonis vel rebus quas nō cauſa negotiatiōis deferūt vel
deferri faciūt ſeu tranſmittūt exigunt aliqđ pedagiū vel guida
gium. eſt excōicatio epalis. per. c. quanq̄. de cenſi. li. vi. ¶ De
his qui fecerint ſtatuta cōtra libertatē eccleſie et qui ſcripſerint
ea. et qui ſunt ptātes: conſules: rectores et conſiliarij locoꝝ vbi
dicta ſtatuta ſeu etiā conſuetudines edite ſunt vel ſeruate: et
qui ſeruare ea fecerint: et ſcđm ea iudicauerint: vel qui in pub
licam formā redegerint iudicata eſt excōicatio epalis. per. c. no
uerit. de ſen. excom. ¶ De rectoribus ciuitatū facientib⁹ exa-
ctiones indebitas clericis religioſis vel eccleſijs eorum: ſi poſtq̄

fuerint moniti: non deſiſtant eſt epalis excõicatio. per. c. non mi nus. extra. de immu. eccle. et. c. aduerſus cõſules. ¶ De his qui abſolutionẽ ab aliqua excõicatione vel reuocationẽ eius ſu ſpenſionis vel interdicti extorquẽt per vim vel ꝑ metũ: neqꝫ va let abſolutio: ſed incurrũt nouam excõicationem: eſt epalis ex cõicatio. per. c. i. de his que vi metuſue cauſa fiunt. libro. vi. ¶ De his qui ꝑ aſſaſſinos. id eſt quoſdã infideles qui ex fal ſis ſuis opinionib⁹ de facili mittebãtur ad occidendũ chriſtia nos: et qui interfecti fecerint vel mãdauerint aliquẽ chriſtianũ etiã ſi mors non fuerit ſubſecuta: et de receptatorib⁹ et defenſori bus et occultatorib⁹ eorum eſt excõicatio epalis. per. c. pro hu mani. de homici. li. vi. ¶ De poteſtatibus: capitaneis: rectori bus: conſulibus: iudicibus: cõſiliarijs et alijs officialibus qui ſtatuta faciunt ſcribũt vel dictant ꝑ que quis cõpellatur ſolue re vſuras vel ſolutas nõ repetere eſt epalis excõmunicatio. cle. ex graui. de vſu. ¶ De his qui occaſione ſententie excõicatio nis uel interdicti late dant licentiã grauandi illos qui tulerũt eas vel ſuos in pſonis vel rebus. hic tamẽ caſus eſt epalis vſqꝫ ad duos menſes ab incurſione ſentẽtie: abinde vero eſt papa lis excõmunicatio. per. c. quicunqꝫ. de ſen. excom. li. vi. ¶ De his qui iudicant ſtatuta edita in fauorẽ vſurarioꝝ: et qui ha bent ſup hoc poteſtatẽ: niſi ſtatuta ipſa deleuerint: aut ſi ea ꝑmiſerint obſeruari. Unde illi qui faciũt capitula cum iudeis: vt domini et communitates et continẽtia ꝙ poſſint fenerari: et ꝙ non poſſint repeti in iudicio vſure extorte ab eis et hmõi: vi dentur incidere in hanc excõicationem: et domini qui ea faciũt et ciues qui cõſulunt. cle. ex graui. de vſu. ¶ De his qui conce dunt repreſalias contra pſonas eccleſiaſticas ſpẽaliter aut ge neraliter eſt epalis excõicatio. per. c. ſi pignorationes. de iniur. et dam. da. li. vi. ¶ De rectoribus ſecularibus vel quibuſcunqꝫ officialibus eoꝝ qui cognoſcerẽt de crimine hereſis aut captos

liberarent vel dyoceſanoꝝ vel inquiſitoꝝ officiū impenderēt eſt epalis. per. c. vt inquiſitionis. de here. li. vi. ¶ De his qui ſcienter contrahūt matrimonia in caſib⁹ non cōceſſis et ꝓhibitis cōſanguinitatis et affinitatis: et de contrahētes cum monialibus: eſt epalis vt cle. eos. de conſang. et affi. ¶ De dn̄is temporalibus qui ſubditis interdicūt ne prelatis vel ꝑſonis eccleſiaſticis quicꝙ vendant vel emant ab eis bladū molant panē coquant et hmōi obſequia exhibere ꝑſumant: eſt epalis excommunicatio. p. c. eos. de immuni. eccle. li. vi. ¶ De his qui impediunt quin corā iudicibus eccliaſticis vel legatis vel ordinariis in caſib⁹ qui ad eos ꝑtinent illi qui cōquerunt iuſtitiaꝫ poſſint obtinere excōicatio eſt epalis. per. c. qm̄. de immuni. eccle. li. vi. ¶ De his qui cōpellunt impatores litterarū apoſtolicaꝝ: vel alios recurrētes ad foruꝫ eccleſiaſticū in cauſis que de iure vel antiqua ꝯſuetudine ad ipm ꝑtinent: vel ad deſiſtendū vel litigandum de eis in foro ſeculari: grauādo iudices eccleſiaſticos vel impantes ſeu litigātes ſeu volētes corā eis litigare vel grauando ꝓpinquos eorum: vel capiētes res vel eccleſias taliū: vel quocūqꝫ alio mō dicto. c. quoniā. eſt epalis et ſimiliter de dātibus conſiliū et fauorem ⁊ auxiliū ad omnia ꝑdicta in duobus. §. ꝑcedentibus ¶ De his qui ꝑlatis capitula ſeu alias ꝑſonas eccleſiaſticas cōpellunt ad ſubmittendū laicos: vel ad alienandū bona imobilia ſeu iura eccleſiaꝝ: et ſimiliter laici q̇ vſurpāt ſibi illicite hmōi: et ſi nō deſtiterint poſtꝙ fuerint admoniti eſt epalis excōicatio. p. c. hoc ꝯſultiſſimo. de re. ec. non alie. li. vi. ¶ De his qui fingunt fraudulēter aliquē caſum ꝑ quem aliquis iudex mittat ad aliquā mulierē pro teſtimonio eſt excōicatio epalis. per. c. mulieres. de iudi. li. vi. ¶ De his qui vocātur ad dirigendas moniales in electionibus: niſi abſtineāt ab eis ꝑ que poſſit diſcordia nutriri eſt excōicatio epalis. per. c. indemnitatib⁹. de elec. li. vi. ¶ De his qui grauant clericos vel

alias pſonas eccleſiaſticas ad quas ſpectat aliqua electio pro eo q̄ rogati ſeu alias inducti eum pro quo rogabāt ſeu inducebant noluerūt eligere: vel ↄſanguineos eoꝝ aut ipſas eccleſias ſeu loca beneficiꝫ ſeu aliꝫs bonis ſpoliādo: ſeu alias iniuſte perſequendo. c. ſciant cuncti. de elec. et eſt ep̄alis excōicatio. ¶ De his qui loquūtur ſecrete vel mittunt ſcripturas vel nunciū alicui cardinali quando ſunt recluſi occaſione electionis pape eſt epiſcopalis excōicatio. per. c. vbi piculuꝫ. de elec. li. vi. et de dominis et rectoribus et officialibus qui imminēte dicta electione non ſeruāt ipſam conſtōem. per. c. vbi piculum. ¶ De his qui pcurant q̄ conſeruatores dati ſe intromittāt de his q̄ non licent. id eſt de aliꝫs q̄ de manifeſtis iniuriꝫs et violētus eſt excōmunicatio ep̄alis. per. c. ſtatuimus. de offi. del. li. vi. ¶ De dominis rectorib' ad regimē vrbis rome et electis et fautorib' qui fecerint contra conſtitutionē ſuper hoc factam eſt ep̄alis excōmunicatio. per. c. fundamenta. de elec. ¶ De electis magiſtris: doctoribus: vel ſcolarib' tractātibus cum aliquo ſiue Bononienſi de cōducendo hoſpitiū irrequiſitis inquilinis niſi tempus conductionis fuerit elapſum eſt ep̄alis excōicatio. per. c. ex reſcripto. extra. de loca. ¶ De doctorib' ſeu magiſtris qui ſcienter illos religioſos qui dimiſerunt habitum docent litteras ſcꝫ leges vl' phiſicam eſt excōicatio ep̄alis. per. c. vt piculoſa. ne cle. vel mo. li. vi. ¶ De dominis vel rectoribus tpalibus qui non fecerint obſeruari ea q̄ ſtatuunt contra inſecutores cardinaliū ſeu alicuius de familia eoꝝ vel pape eſt excōicatio epiſcopalis. per. c. felicis. de pe. li. vi. ¶ De his qui impediunt viſitatores monialiū vel canonicarū: ſi moniti non deſiſtant: eſt epiſcopalis excōmunicatio. per cle. attendētes. de ſtatu mo. ¶ De impugnantibus litteras pape ante coronatiōem eius: et eſt Benedicti pape. xi

¶ De quibuſdā mulieribus q̄ beghine dicūtur et de religioſis fauentibus eas in illo ſtatu: et erant iſte certū habitū aſſumentes nulli obedientiā pmittentes nec renunciantes ppriis: nec regulā habentes licet quibuſdā religioſis ſpēaliter inhereant. de here. c. ad noſtrā. nec intelligunt ſub nomie ille q̄ etiam beghine vel veſtite dicunt de penitētia beati Dñici. vt patet in declaratione. Jo. xxii. et idem dicit de tercio ordine beati Franciſci. imo ex illa cle. vident dici beghine ille excōicate que habēt illos errores ibi poſitos: qui cum ſapiant hereſim eſt hodie forte caſus papalis: et eſt cōtra tales beghinas. ¶ De his qui ab ſoluti ab excōicatione in articulo mortis: vel pter aliud impedimentū non repñſentant ſe quācitius cōmode pñt ei a quo debeant abſolui: quia reincidunt in eandē. de ſen. excom. c. eos. ¶ De participantibus cum excōicato in crimine pter quod eſt excōicatus dando ei conſiliū et fauorē. c. ſi cōcubine. de ſen. excō. ¶ De his qui abſoluūtur a ſede aplica vel legatis et iniungit eis q ſe repñſentent ordinariis vel alias ſuſcepturi penitētiam et paſſis iniuriā: ſeu alias obligati eis quib' ſcienter ſatiſfaciant ſi hoc nō faciūt cum primū cōmode poterūt quia reincidunt in eandē ſententiā. di. c. eos. ¶ De his qui cōtumaciter aſſerūt romanā eccleſiā non eſſe caput omniū eccleſiarū: nec ei tanq̄ capiti eſſe obediendū. diſt. xix. c. nulli fas. ¶ De his qui ſepeliunt corpora in cimiteriis tpe interdicti in caſibus nō conceſſis a iure. cle. eos: de ſepul. ¶ De his qui excōicatos publice aut nomiatim interdictos: vel vſurarios manifeſtos ſcienter ſepeliūt in cimiteriis. diſt. cle. eos. ¶ De clericis qui manifeſtis vſurariis ad exercendū fenus domos locant vel alio titulo cōcedunt eſt excōmunicatio epālis. p. c. vſurariū. de vſuris. ¶ De eo qui nō eſt electus a duab' partibus cardinaliū: et ſe gerit p papa. c. licz. de elec. ¶ De monachis et canonicis regu

laribus: archidyaconis: decanis: ꝑpoſitis: plebanis: cantorib⁹: et aliis clericis ꝑſonatū habentib⁹: aut etiā quibuſcūqꝫ p̄ſbyteris qui audiūt leges vel phyſicā eſt ep̄alis excōicatio. per. c. nō manope. ne de. vel mo. ¶ De religioſis q̄ temerarie vbicunqꝫ habitū ſue religionis dimittunt: excōicatio eſt ep̄alis. per. c. vt periculoſa. ne cle. vel mo. li. vi. ¶ De religioſis qui accedūt ad ſtudia: niſi a ſuo p̄lato cum cōſilio maioris partis ꝯuentus licentia ſibi ſit cōceſſa. d. c. vi piculoſa. li. vi. ¶ De religioſis qui decimas debitas eccleſiis ſibi appropriant vel vſurpāt: ſiue qui non ꝑmittunt ſolui eccliis decimas de animalib⁹ familiarū et paſtoꝝ ſuorū vel alioꝝ immiſcentiū ipſa aīalia gregibus eorū tales ſi nō habent adminiſtratōes et beneſitia ſunt excōicati: ſi habēt ſunt ſuſpēſi: niſi requiſiti deſtiterint infra menſē. cle. religioſi. de deci. Et eſt ep̄alis excōicatio ¶ De monachis et canonicis regularib⁹ non hn̄tibus aliquā adminiſtratiōem qui ſe cōferūt ad curias principū ſine licentia ſuoꝝ prelatoꝝ: vt damnum aliqđ inferant ſuis p̄latis aut monaſteriis et q̄ ſine licentia arma tenēt infra ſepta monaſterii eſt ep̄alis excōicatio. per cle. ne in agro. de ſta. mo. ¶ De religioſis vel monialib⁹ ꝓfeſſis et clericis in ſacris ordinib⁹ cōſtitutis qui ꝯtrahunt matrimonium de facto eſt excōicatio ep̄alis. cle. eos. de cōſan. et affi. ¶ De inquiſitorib⁹ hereticoꝝ qui p̄textu officii inquiſitionis quibuſuis modis illicite pecuniā extorquēt vel ſcienter bona eccleſiaꝝ ob delicta clericoꝝ fiſco eccleſie applicāt nec pn̄t abſolui niſi quib⁹ extorſerint plene ſatiſfecerint de pecunia: eſt ep̄alis excōicatio. cle. volētes. de here. ¶ De religioſis qui nō ſeruant interdictū qđ ſeruat ſācta mater eccl̄ia romana. vt cle. ex frequētibus. de ſen. excom. ¶ De religioſis qui ꝯfitentibus ſibi nō faciunt conſcientiā ſcienter de decimis ſoluendis tales ab officio ꝑdicationis ſunt diſpenſi donec cōmode poſſint faciāt eis conſci

entiam: et ſi interim pdicant ſunt excõicati epiſcopali excõmuni catione. et ſimiliter de religioſis qui dicũt aliqua verba vt retra hant audiẽtes a ſolutione decimarũ eſt epalis excõicatio. p cle. cupiẽtes. de pe. ¶ De religioſis mendicantib' qui domos ad habitandũ vel loca de nouo recipent aut de nouo recepta mu tarent vel alienarẽt. c. i. de exceſ. prela. in cle. ¶ De fratrib' mi noribus qui tpe interdicti recipiunt ad diuina fratres vel ſoro res de tercio ordie ſancti franciſci eſt epalis excõicatio. c. cum ex eo. de ſen. excõ. ¶ Ingrediẽtes monaſteria monialiũ ordinis pdicatoꝝ extra caſus neceſſarios qui declarant in conſtõibus ſuis: puta ad dandũ ſacramenta infirmis ad medendũ eis ad reparandum edifitia et hmõi non habita licentia a papa vel a magiſtro ordis ſunt excõicati: nec pñt abſolui niſi a papa vel a mgro ordinis: vel ab alio cui fuerit cõceſſa talis abſolutio: vt patet in bulla ipſi' ordinis cuius bulle tranſumptũ vidi ego. ¶ Ingrediẽtes monaſteria monialiũ ordinis minoꝝ extra ca ſus neceſſarios cõceſſos in conſtõibus ſuis ſine licẽtia pape vel miniſtri ordinis excõicationẽ dyoceſanis reſeruatã incurrunt put audiui a quibuſdã fide dignis. ¶ Nota q ab excõmuni bus q̃ fiunt ab homie ſiue a iudice regulariter non põt quis ab ſolui niſi a ſuo excõicatore vel ab habẽte plenariã iuriſdictionẽ ſup eum vel a ſupiori ſuo: niſi in articulo mortis. ¶ Itez no ta q fratres pdicatores et volentes ingredi eoꝝ religionem pñt abſolui a platis ipſius ordinis a ſententiis excõicationis ſuſpẽ ſionis et interdicti latis ab hoie vel a iure: ſaltez ab illis quorũ abſolutio reſeruat epiſcopo.

¶ De materia omniũ ſupradictarũ excõicationum tam ponti fici ſummo q epiſcopis vniuſcuiuſcunq; dyoceſis tam a iure q per extrauagãtes et pceſſus curie. Uide plenius et clarius ac diffuſi' ſi vis videre in titulo de cenſuris eccliaſticis in quar ta parte ſumme mee ſiue cõpilate per me fratrũ Anthoninum

archiepiſcopū florentinū. Et ſic eſt finis omniū caſuum tam ſummo pontifici q̄ epiſcopis reſeruatoꝝ.

Primo notādum eſt q̄ ſunt due ſpecies excōicationis. ſcʒ maioris et minoris. Excōicatio maior ſp eſt pctm mortale: et talis primo eſt ſeparatus a deo et nō poteſt cōicare pro aliqua vtilitate anime ſue. Secūdo eſt ſeparatus a ſancta eccleſia id eſt a cōione et participatione fideliū: exceptis his caſib⁹ qui ſupra ſpecificati ſunt. Et ſunt quinqʒ in quibus ipſe excōicatus non pōt participare qui cōtinētur in hoc verſu. Si pro delictis anathema q̄s efficiat̄. Os orare vale cōmunio mēſa negat̄. Qui ſic intelligunt̄. Os. i. locutio. Orare. i. oratō cū alijs in eccleſia. Cōmunio. i. cōicatio ſacramētorum. Vale. i. ſalutatio. Menſa. i. cibus et potus. Excōicatio vero minor aliqñ eſt mortale peccatū: aliqñ veniale. ſed anteq̄ dicatur qñ ſit mortale vel veniale. Nota prius q̄ nouē modis homo pōt incurrere excōicationeʒ minorē. Primo qñ quis participat cū excōicato excōicatione maiori in aliquo illoruʒ modoꝝ ſupius dictorum. Scdo quādo quis cōmittit ſacrilegiū: ſicut qui furat̄ in eccl̄ia: vel in ea illicitū q̄d facit. Tercio qñ quis eſt public⁹ concubinarius vel fornicator. Quarto qñ quis acceptat aliquā eccleſiā a laico et illam ſic tenet. vt. xvi. q. ij. ſi quis. Quinto qñ quis eſt ſymoniac⁹ qui eſt etiaʒ excōicatus excōicatione maiori. Sexto ſcd̄m quoſdā quādo in bello iniuſto contra xp̄ianos exercet q̄s artē baliſtaꝝ aut ſagittarū. Septimo opp̄ſſores inopū et pauperum: publici p̄dones: publici vſurarij: meretrices: qui omnes largo modo loquēdo poſſunt dici excōicati ꝑ quanto taliū oblationes nō debent admitti ad altare ſanctū dn̄i. Octauo illoꝝ quibus denegat̄ eccleſiaſtica ſepultura. ſicut ſunt illi qui moriunt̄ in torneamētis: qui dato q̄ penitētes moriant̄ non ponūtur in cimiterio. Similiter etiā dicitur de illis qui non cōicant ſemel in anno ſine neceſſitate et cauſa. vt. c. omnis. de pe. et re.

¶ Nono omnes publici peccatores. Omnes aūt caſus ſupra dictos poit Inno. Ray. et Hoſt. et in quolibet predictoꝝ caſuū pōt abſoluere ſimplex ſacerdos et epūs: preterꝙ forte in ſymonia et excōicatione maiori. In primo ergo caſu ſcʒ in participatione cum excōicatis maiori excōicatione poteſt homo peccare mortaliter et venialiter. Mortaliter tripliciter ¶ Primo quādo participat in eodeʒ crimine ꝓpter qđ ipſe eſt excōicatus dando conſiliū auxilium et fauorē: ratione cuius peccatū committit. ¶ Secundo quādo participat cum excōicato in aliquo alio crimine mortali ab illo ꝓpter quod ipſe eſt excōicatus. Sed in primo caſu nota ꝙ participans cum excōicato in eodē crimine vt dictū eſt incurrit excōicationem maiorē: ſed in ſecūdo modo cadit tantū in minori excōicatione etiā ſi mortaliter peccat. ¶ Tercio qui cōmunicaret cum excōmunicato maiori excōicatione in ſacramētis. puta accipe corpus xp̄i cum eo vel ſacros ordines incurrit excōicationeʒ minorē: peccat tamē mortaliter. In aliis autē caſibus ſupra dictis nō peccat quis participādo cum excōmunicatis. niſi ꝓ quanto aliquis in contemptū precepti et ꝓhibitionis facte audacter cum excōicato et ad libitū conuerſaretur: aut in ſalutando: aut in loquēdo ſine neceſſitate: aut in morādo vel cōicando. ¶ Sed nota ꝙ ſacerdos recipiēs aliquē excōicatum maiori excōicatione ad officiū eccleſie aut ad ſacramenta aut ad eccleſiaſticā ſepulturā: non ſolū mortaliter peccat: ſed ſubito eſt ſuſpēſus ab adminiſtratione et ſibi eſt interdictus introitus eccleſie quouſqʒ ſit abſolutus: et efficit quaſi irreglaris: et ſi taliter interdict⁹ moriatur nō debet poni in cimiterio nec debet ꝓpter timorē ſacerdos deſiſtere quin talem excōmunicatum expellat de eccleſia: q2 non excuſat ratione timoris: niſi talis eſſet timor qui poſſet cadere in conſtantē virum. tunc enim ſcđm quoſdā excuſatur ab interdicto. Hoſtię. autē dicit ꝙ beatus erit talis ſacerdos ſi ſe prepararet ad martyrium

¶ Nota igitur quomō habuiſti ꝙ in nouē caſibus homo ca
dit in excōicationem minorē: ratione cuius ſeparatus eſt ab ef
fectu ſacramentoꝝ et quantū ad deum. Nam peccatū morta-
le animā ſeparat a deo et excōicatus quomodocūqꝫ eſt in pctō
mortali: preterꝙ participando cum excōicato maiori excōicatio
ne in loquēdo ſalutando orando cōicando cōmedendo. in qui-
bus caſibus ſcḋm Tho. homo non peccat mortaliter niſi ꝓpter
contemptū: dato ꝙ excōicationē incurrat. et ideo qui eſt in pec
cato mortali quōcunqꝫ aliter eſt excōicatus etiā quantū ad ec-
cleſiam eſt ſeparatꝰ ab effectu id eſt a gratia et ſacramētis. qꝛ
nullus qui eſt in peccato mortali cū ſit indiſpoſitus pōt conſe-
qui gratiam ſpūs ſancti: pōt tamen intrare in eccleſiaꝫ ſtare in
officio diuino. et etiā poteſt cū aliis in alio participare: ſed nō
poteſt pacē in eccleſia recipere. cum pax ipa ſit loco cōmunionis
Sed hec omnia plenius habent in decretis et decretalibus ⁊
in ſummis: ideo cum expedit vide. quere diligentius in ipſis.

POſtꝙ ille qui vult cōfiteri dixit ex ſe ea que voluit de
peccatis ſuis ſi nō dixit ſufficienter: qḋ quaſi ſemꝑ ac-
cidit: interrogādus eſt plene de his q̄ non dixit prout
videbit fore expediens. Si vero modicū vel minus dixit potes
interrogare ſcḋm ordinem infra poſitū. videlicet primo de decē
ꝑceptis. poſtea de viciis capitalibus. non aūt omnes de omni
bus: ſed de illis q̄ ſolent in talibus reperiri: et non ſolū de iſtis
peccatis interrogādi ſunt: ſed de omnibus circūſtantiis pecca-
torum ꝓut ſupra ſatis oſtenſum eſt. non tamen eſt neceſſe de
quolibet peccato mortali omnes circūſtantias ꝑdictas confiteri
ſed ſolū illas q̄ trahunt peccatū in aliam ſpeciē que ſcꝫ habent
ſpecialē deformitatē oppoſitam alicui preceptoꝝ. Sed ⁊ de nu
mero peccatoꝝ mortaliū ſcꝫ quotiens mortale peccatū cōmiſſū
eſt in qualibet peccatoꝝ ſpecie diligenter interrogandū eſt.

## ¶ Incipit prima pars de modo interrogandi penitentes a confeſſore ſcd̄m decem p̄cepta legis. Primū preceptum continet tria capitula. Primum.

¶ Unum cole deum. Circa hoc primū preceptum ſic potes interrogare. Et primo de votis.

¶ De votis.

Nota ſcd̄m magiſtrum ſententiarū. di. xxviij. q̄ votum eſt teſtificatio quedā pmiſſionis ſpontanee que fit deo de his q̄ dei ſunt et fieri debet. vel breui⁹ ſcd̄m Tho. Uotum eſt pmiſſio deo facta de aliquo qđ ſit deo acceptū. ad qđ requirunt̄ tria. ſcʒ deliberatio voluntatis et ppoſitum et pmiſſio. vltimū oritur ex ſecūdo. ſecundū ex primo. ¶ Si trāſgreſſus eſt ſeu omiſit implere aliquod votū licitum: et ſi aduertenter cum poſſit: eſt ſemper mortale et totiens quotiens frangit. Secus ſi ex obliuione: vel quia nō poterat vt infirmus ieiunare et hmōi. ¶ Si nouit ſe aliquid mali facturum: vt vindictā vel maioris boni impeditiuū: vt non ingredi religionē hoc eſt mortale et ſine aliqua diſpenſatione debʒ illud infringere. ¶ Si nimis tardauit implere ppter quod a memoria excidit omnino: vel venit ad ſtatū non valendi implere: cuʒ prius potuiſſet mortale videt̄. Idem quādo dimiſit ppoſitum implendi cum tamē poſſet: alias mora implendi votum quādo ſibi non p̄fuit tempus non videt̄ mortale niſi mora eſſet valde nimia: et niſi ex hoc ei immineret periculum non valendi implere: vt de voto ingrediendi religionē: cum tamē non haberet cauſā legitimā cogentē dilationis: tunc etiā eſt mortale. ¶ Si fecit votū de re licita: vt de elemoſina: ieiunio et hmōi. ſed ob malū finem: puta vt poſſit facere vindictā: adulterium et hmōi. mortale peccatū eſt: nec tenet̄ illud implere. ¶ Si fecit votum abſtinentie et hmōi. et dubitat vtrū poſſit implere vel non et ſine

diſpenſatione vel cõmutatione ſupioris cum poſſit faciliter re-
currere ad eum: vel ad confeſſorẽ ſuũ pro conſilio frangit morta
le videt. ¶ Nota tamẽ ꝙ viri pñt irritare vota vxoꝝ ſcꝫ abſti-
nentie: pegrinationis: elemoſine: et acceſſus ad talem locuꝫ: et
maxime votũ elemoſinaꝝ ſi non habẽt niſi dotem abſqꝫ alia ſu
periorũ diſpenſatione: et ſi fiat talis irritatio etiã ſine cauſa ra-
tionabili a viro: ãmodo non tenet vxor implere talia vota. Du-
bium eſt de voto hieroſolimitano: qꝛ hoc in fauorẽ fidei emittit
¶ De irritatione votoꝝ impuberũ et filiorũfamilias et religio-
ſorum. vide in. ij. parte. ſum. ti. vlti. ¶ Si habes votũ caſtita
tis vel religionẽ intrandi et matrimoniũ contraxit: mortale eſt
et non põt conſũmare illud abſqꝫ mortali peccato: quia adhuc
poteſt illud implere: et debꝫ ante conſummationẽ matrimonij:
poſt conſummationẽ vero reddere tenet debitum etiã interpta
tiue petenti. ſed exigendo ſemp peccat mortaliter. Vñ conſulen
dum eſſet ei petere ſup hoc diſpenſationẽ a papa ſcdm Guil.
Poſſet etiam epus diſpenſare niſi eſſet talis continẽs et obſer-
uans ipſum. ¶ Si fecit votum ſtultũ et irrationabile: vt ieiu
nare dominica die: vel nõ pectinare caput: vel lauare in ſabba
to et hmõi. mortale non eſt: ſed phibendus eſt illud implere.

¶ De voti tranſgreſſione.

Et nota ꝙ a tranſgreſſione votoꝝ poteſt de iure cõmu
ni et ꝯſuetudine confeſſor abſoluere: qꝛ non eſt de caſi
bus reſeruatis: ſed de diſpenſatiõe et cõmutatione vo
torũ non põt ſe intromittere ſine ſpeciali cõmiſſione dyoceſano-
rum vel alteri⁹ qui poſſit illã dare. Epi autẽ in omnibus pñt
cõmutare vel diſpenſare: niſi in voto caſtitatis vel religionis ⁊
trib⁹ votis pegrinationis. ſcꝫ Hieroſolimi. ad ſanctũ Jacobũ.
et ad limina apoſtoloꝝ id eſt Romã. in quibus votis papa vel
ſummus penitẽtiarius ſoli diſpenſant vel cõmutant.

¶ De votis habes in ſcda parte ſum.

De ſupſtitionibus.c.ij.

Si fecit ipſe vel fieri fecit aliqđ maleficiũ: ſeu iuxta vulgare malias in quibus ſemp fiunt incantationes occulte vel manifeſte demonũ inuocationes: q̄ ſemp eſt mortale: et dignum morte corporali.

De incantationibus.

Si fecit vel fieri fecit vel ꝓcurauit aliquã incantationẽ cũ ſacramentalibus eccleſie: vt aqua baptiſmali vel oleo ſancto et hmõi ob ſanitatẽ vel aliam cauſã eſt mortale et grauiſſimũ.

De adoratione creaturarum.

Si adorauit aliquã creaturã faciendo orationẽ ad eam vt ad lunã ſolem et ſtellas cũ primo apparent et hmõi: eſt mortale peccatum.

De diuinationibus.

Si fecit vl̃ fieri fecit aliquã diuinationẽ ad inueniendũ futura vel ad ſciendũ occulta vel futuꝝ qđ ſibi contingere poteſt mortale.

De arte notoria.

Si didicit artem notoriã vel vſus eſt ea ad ſciendũ aliqua vel ſi vſus eſt arte nigromãtica mortale eſt: et ſi habet librũ inducendus eſt vt cõburat. alias nõ eſt abſoluendus. ſicut eſt liber Almadel: Seriphoras. et alij libri cõburendi ſunt: q2 mortale eſt vti eis.

De conſtellationibus.

Si ex conſtellatõnibus vel planetis ſub quibus natus eſt aliqd iudicauit determinate de cõuerſatione eius. Idem ſi ex phiſonomia. Credere eñi hominẽ ex fato vel ɔſtellatione vel complexione cogi ad bonũ vel ad malum eſt hereticũ.

De ſortibus.

Si vſus eſt ſortibus diuinatorijs qđ eſt mortale: ex leuitate autẽ veniale. Si dedit aliqđ turpe vxor viro ad cõmedendum vel alteri vt amaret eam vel fecit vl̃ dixit aliquid turpe ad hmõi eſt mortale: interrogandũ eſt quid fuit illud.

De incantationibus.

Si fecit vel fieri fecit aliquã incantationẽ ob ſanitatẽ conſe

quendam et quando hoc fit ſciendo eſſe ꝓhibitum eſt mortale cōiter: quādo vero ex ſimplicitate fieret putādo eſſe bonas orationes videt̄ veniale. Sed ſi nollet in futuꝝ abſtinere: neganda eſt ei abſolutio: q2 ex obſtinatōne et malitia videt̄ eſſe mortale: et interrogandū eſt de verbis quibus vtunt̄ et de obſeruātijs quas addunt.

De breuibus.

Si fecit vel fieri fecit vel vſus eſt breuibus que cōiter ſunt ſupſtitioſa ex verbis vel carta in qua fiunt: vel mō imponendi vel portādi: vel tpe ſcribendi: et inuenta ſupſtitione eaꝝ imponendum eſt ꝙ comburāt: et ſi nollēt non ſunt abſoluēdi: quia tunc eſt mortale. Si vero puatabāt talia eſſe licita tanꝙ orationes: veniale videt̄.

De obſeruationibus tpm.

Si obſeruauit vnā diem magis ꝙ aliam in nō incipiendo aliquid tanꝙ malum: vt dies egyptiacos vel diē in quo occurrit decapitatio ſancti iohānis baptiſte: vel diem aſcenſionis in colligendis herbis et hmōi veniale videt̄ cum ex ſimplicitate hoc fit: ſic ſcribendo aliqua: vel portādo ad ſuſpendendū in aliquo loco ſi ſimpliciter credit veniale ē. Si vero hoc crederet animo obſtinato: tunc mortale eſſet talia obſeruare.

De ſomnijs.

Si obſeruauit ſomnia faciēs aliquas oratōes et obſeruatiōes: et poſtea ex his q̄ ſomniat volēdo de futuris et occultis iudicare et ꝓnunciare mortale eſt: alias autē ſine obſeruatōne adiūcta adhibere fidē nimijs ſomnijs peccatū eſt: et ſi ex ſe non ſit mortale: tamē ꝑiculoſum eſt: q2 ſic dyabolꝰ multos decipit. Si ex effuſione olei de lucerna vl craſſitatiōe aliquaꝝ auiū vel vlulatu canū: vel magnitudine et cōtinuitate ventorum ⁊ hmōi eſtimauit aliquid euenturū quod factū eſt. Si eſtimauit mulieres conuerti in guttas vel alia animalia et ire de nocte et ſuggere ſanguinē pueroꝝ et hmōi quod eſt ipoſſibile: niſi deo: ⁊ ideo fatuū eſt credere. De hac materia diuinationū

incantationum et omniuꝫ ſupſtitionum vide luce clarius in decretis. xxvi. c. per totum.

¶ De blaſphemia multiplici dei et ſanctoꝝ. c. iij.

¶ Si blaſphemauit deũ: videlicet dicendo eum nõ eſſe iuſtũ et omnia iniuſte diſponere et eſſe acceptatorem perſonarũ: vel non videre q̃ fiunt: vel non curare de actibus hominũ vel proditorem: vel ſine merito punire et flagellare eum vel non poſſe iſtud vel illud facere et hmõi: quodlibet hoꝝ eſt mortale cum aduertit qđ dicit et intelligit. ¶ Si blaſphemauit deũ vel aliquem ſanctũ: que ꝓprie dicit maledictio. vt maledictus ſit ⁊c. vt ſit ex ira ſemꝑ eſt mortale ſi aduertit ipſa verba.

¶ Scđm preceptũ de iuramẽtis et ꝑiuriis. et hꝫ. ij. c. Primũ

Nec iures vana ꝑ ipſum. Primo de ꝑiurio. ¶ Si iurauit in aliqua curia coram iudice mendacioſe mortale eſt quantũcunqꝫ alias haberet iuſtã cauſam: et qui inducit ad hoc aduertẽter: vt iudex: aduocatꝰ: ꝓcurator et huiuſmodi mortaliter peccat. ¶ Si iurauit etiã extra iudiciũ in cõmuni ſermone quacunqꝫ ex cauſa vel leuitate vł vtilitate vel iocoſitate vel qualicunqꝫ modo: nec ſolũ ad ſancta dei euangelia et ꝑ corpus chriſti et ſanctoꝝ: ſed etiã per fidem: ꝑ deum: ſi deus me adiuuet: ꝑ virginem mariã: per crucẽ: per animã ſuã et hmõi: hoc ſemꝑ eſt mortale q̃ndo aduertit ſe iudicare et falſum dicere: et totiens quotiẽs ſic iurando aduertit. ¶ Si iurauit aliquid ꝓ certo de quo dubitabat vtꝝ ſic ſit: mortale eſt: et ꝓcipue iurando in iudicio. ¶ Si iurauit aliquid ꝑpetrare qđ eſt mortale: vt facere vindictã: non dimittere concubinã: ſeruare iniuſta ſtatuta: tenere ſecretã iniquam coniurationẽ mortaliter peccauit: nec debet illud ſeruare. ¶ Si iurauit tenere ſecretum aliqđ quod eſt tractatuꝫ in conſilio vel aliud qđ nulli eſt nociuũ: ſi aduertẽter manifeſtat peccat mortaliter ipſe et q̃ ſtimulat eũ ad manifeſtandũ ſciens illud eſſe ſecretũ. ¶ Si

iurauit ſeruare ſtatuta alicuiꝰ ciuitatis vel vniuerſitatis ali-
quod ſcienter tranſgrediēdo ſtatutis peccat mortaliter. ¶ Si
tamē aliquod ſtatutū eſt abrogatum per contrariā conſuetu-
dinem quia quotidie per omnes fit contrariū et diu nō videtur
periurus ſi non ſeruat illud eo ꝙ non habet vim ſtatuti. di. ij.
. § . leges. ¶ Si iurauit per aliquē modum opprobrioſum ꝑ
dei membra vel ſanctoꝝ: vt faciunt ribaldi: mortaliter peccauit
quia blaſphemia reputaꝰ. xxij. q. i. c. ſi quis per capillus. ¶ Si
ꝓmiſit ſe aliquid facturū licitum in honorē dei vel aliorū ſan-
ctorum: ſi non intendebat obſeruare mortaliter peccauit. ſi aūt
intendebat obſeruare: ſed veniente termino quo debet implere
non ſeruat ꝓmiſſum cum tamē poſſet: licet cum incōmoditate
ſua peccauit mortaliter: niſi ille cui ꝓmiſit ante terminuz re-
laxet iuramentū: quod facere poteſt ſi ꝓmiſſum in illius vtili-
tatem tantū cedat. nam ſi in vtilitatē aliorum vel in honorem
dei et ſanctoruz non poteſt ille relaxare: ſed ad epiſcopū vel pa-
pam ptinet relaxatio vel cōmutatio: ſi autem non pōt implere
excuſatur a peccato ꝓtunc cum non pōt. Si quis etiā promit-
tat cum iuramēto ſe aliquid facturū quod non eſt alicuiꝰ im-
portationis boni vel mali: vt mater de verberando filiū vel de
bibendo vel non et hmōi. videtur veniale iuratio et ꝑiuratio.
¶ Si iurauit ſine cauſa rationabili ꝓ quibuſcunqꝫ minimis
dicendo etiam veritatē veniale eſt: niſi faceret in contemptū: et
inducendus eſt vt abſtineat ꝓpter periculū periurij. ¶ Si in-
duxit aliquē ad iurandū quem omnino credebat falſum iura-
turum mortaliter peccauit: niſi eſſet iudex hoc faciēs ex officio
ſuo ſecundū iuris ordinem.

¶ De adiuratione. c. ij.

De adiuratiōe que eſt inducere aliquē ad aliqd facien-
dum ob inuocationē alicuiꝰ rei ſacre: et ſi eſt ꝑ modū
coactionis intendēs eum obligare ꝑ modū iuramē-

ad aliquid faciendū vt ad ſupiores et alios in quib' non hab3 poteſtatē eſt mortale ſicut adiuratio cayphe contra dominū. Ad ſibi ſubditos vero eſt licita eo caſu quo liceret eis percipe: alias non: et tunc adiurat' tenetur illud facere vel dicere: alias eſſet mortale ſicut tranſgreſſio pcepti. ¶ Si adiurauit platos vel ſocios vel inferiores p modum depcationis intendēs reducere ad iuramentū ad aliqd boni faciendū non eſt malū vel veniale. ¶ Si leuiter eſt ſine cauſa adiurat' non faciens illud nō peccat. Tho. ¶ Si adiurauit demones per modū precis vel ad fiendum aliquid ab eis: vel aliquid obtinendū auxiliū eſt mortale: niſi qs faceret ex familiari cōſilio ſpūs ſancti: vel niſi ex quadā ſimplicitate qrens ab obſeſſis a dyabolo: ſed per modum coactiōis licet eos adiurare ne nobis noceāt. ¶ Si adiurauit creaturas irrōnabiles ne dyabolus eis vtat in noſtrū nocumentū: licet. ſi autē vt de modo opetur in eis mortale eſt. vt incantatores ſerpentiū. ¶ Si in cantilenis et turpib' fabulis miſcuit deū et ſanctos et in narratiōibus turpibus et amatoriis eſt mortale: alias veniale. niſi faceret in contemptū dei.

¶ Terciū preceptū de obſeruatiōe feſtoꝝ et ↄtinet. iii. c. Primū.

Sabbata ſanctifices. Quia quantū ad determinationē dierū iſtud preceptū eſt de iure poſitiuo: ideo hic annectere potes de ieiuniis eccleſie et de auditiōe miſſe.

¶ Primo ergo ſi fecit aliqd manuale opus diebus dñicis et feſtiuis vel alias pceptis ab eccleſia extra neceſſitatē: quia mortaliter peccauit ſi p notabile ſpaciū: ſecus ſi faceret aliqua puncta: ſi vero ex neceſſitate videlicz quia hoſtes expectātur vel veniunt inundatiōes aquarū et hmōi: tunc liceret remouere blada et ſuppellectilia et hmōi: et debent obſeruari de veſpa in veſperam id eſt de ſero ad ſero. de conſe. di. iii. c. pnunciandū. et hic requirit magna prudētia in ↄſulendo. ¶ Si vendidit vel emit diebus feſtiuis nō cōmeſtibilia de die in diem: vt panem

vinum: caſeum: carnes ⁊ hm̄oi: mortaliter peccauit. ¶ Si ꝑ modū negotiationis nō in caſu magne neceſſitatis: in nūdinis tamē ex quo p̄lati eccleſiarum tolerant ſi non dimittūt audire miſſam ſcd̄m Pe. de palu. videnť excuſari qui mercanť in diebus feſtiuis ſcꝫ a peccato mortali. ¶ Si fieri fecit aliqd̄ predictorum a ſuis filijs: diſcipulis: ſeruis: laboratorib⁹ ſine neceſſitate peccat mortaliter mandās et exequens. Si tamē mandās ſeu magiſter vel patron⁹ non habet neceſſitatē: ſed diſcipulus eius vel ſeruus vel ruſtic⁹ habet neceſſitatē ita ꝙ aliter nō poſſet viuere: vel quia diſcipulus nō obedit aliqn̄ magiſtro in his diebus vendēdo vel faciendo aliqd̄ exercitium eius artis ꝑ aliquo tēpore: et nec iſte nec alius de illa arte vult cōducere eum ſecū et aliud exercitiū neſcit facere: videť ipſe excuſari: naꝫ ſi in obſequiū eccleſiaꝝ particulariū aliquādo licet aliquid laborare diebus feſtiuis ſcd̄m doctores: quāto magis licet pro ſuſtentatione vite eius in neceſſitate: tutius tamē eſſet eligere aliquā artē ſi poſſet. Similiter de ſcriptorib⁹ precio et cōfitentibus inſtrumenta et indicātibus et facientib⁹ longas dietas nō cauſa cupiditatis ſed neceſſitatis: qꝛ non bene aliter pōt fieri. ¶ De barbitonſoribus et hm̄oi. medicinalia autē ſemꝑ licet facere et medicinari et talia vendere. ¶ Si per totū diem feſtiū vacauit ludis: venationibus: aucupijs: choreis ⁊ alijs vanitatibus mundi. Frequēter enim in his occurrūt mortalia peccata et ſi de iſta non ſunt mortalia. ꝙ etiā mortale peccatū diebus feſtiuis cōmiſſum ſit grauius patet. et ideo de hm̄oi confitendū eſt

¶ De auditione miſſe diebus dominicis et feſtiuis.

¶ Si non audiuit totā miſſam diebus illis ſed omiſit: vel ex ɔtemptu vel ex cupiditate lucrādi: vel cauſa eundi ad ſolatiū vel ad ɔuiuia: ſeu ex negligētia vel ignorātia craſſa: mortaliter peccauit: et totiens quotiens dimiſit. Idē ſi audiuit ſed non totam dimittendo notabilē partē. de conſe. di. i. c. miſſas. Secus

vero eſt ſi modicam partē miſſe dimiſit. ¶ Quod autem quis audiat in parrochia ſua vel alibi miſſam ꝓpriaȝ de die vel aliā audiendo: vel non intelligendo verba: vel non audiendo: qꝛ ſub miſſe dicitur: vel audiat alibi ſeu a concubino vel ſymoniaco ⁊ hmōi: vel non ſymoniaco et cōcubinario ex quo prelati non prouident ſuper hmōi non videntᷣ ſimplices ſolicitandi: ſed dimittendum cōſcientiis eorum vbi talia abundāt ſcđm Pe. de pa. et Guil. duran. ¶ Dimittens vero auditionē miſſe ex infirmitate vel ex tali occupatione quā non poteſt dimittere vt ſeruire infirmo vel alia iuſta cauſa: puta quia manet in caſtris excuſatur. Excuſantᷣ etiam puelle que dimittūtur a parentibus domi: non tamē euntes ad choreas. Vidue etiam que manēt in domo clauſe ꝑ menſes non excuſantᷣ: ſecus ſi per dies quindecim vel per menſem.

## ¶ De obſeruatione ieiunioꝝ. ca. ij.

¶ Si quis dimittit ieiunia eccleſie vľ quadrageſime: quattuor temporꝝ: et vigilias feſtorum chriſti ac apoſtoloꝝ et ſanctoꝝ poſt. xxi. annū peccat mortaliter: niſi habeat cauſam legitime eum excuſantē: vel ſaltē exiſtimet ſe habere puta cum eſt ſatis debilis vel videtur ſibi eſſe ꝓpter quod credit non poſſe ieiunare ſine notabili corporis detrimento: licet ſcđm veritatē poſſit: talis non videtᷣ de facili condēnandus de mortali ex quo paratus erat obedire p̄cepto ſi crediſſet ſe poſſe: aliter eſt mortale: et totiens quotiens dimiſit aliqueȝ diem ieiunij. quilibet eñ dies eſt ſub vno peccato: et inde poſt. xxi. annū inducendi ſunt iuuenes ad ieiunandū. ſed etiam interrogandū eſt de numero dierum quos dimiſit: et qua de cauſa. Si vero notabiliter anticipauit horam cōmedendi: puta circa horam terciā ſine cauſa legittima nō eſt ieiuniū: vnde et mortale. Hora aūt congrua eſt circa nonā. tardare autē poſt nonam nō eſt vicium: niſi fiat ex ſuperſtitione. ¶ Si cum ieiunauit ex ſtatuto eccleſie: vel ex voto

vel ex iniunctione confeſſoris cõmedit de ſero fruſtrũ panis vel de pluribꝫ fructibus aut ↄfectionibus: vel de vno genere tantũ ſed in magna quãtitate ieiuniũ fregit. ¶ Si vero aliquid confectionum ſumit in parua quãtitate non ſoluit ieiunium: niſi fieret in fraudem ad nutriendũ: ſed ſumendo aliquid fructuũ per modũ medicine: nec ſcilicꝫ vnum lauet ſtomachũ non videtur eſſe malũ. Poteſt autẽ quis in die pluries bibere ſumpto prandio et non frangit ieiuniũ niſi fiat in fraudeꝫ vt dictũ eſt. Debiles et multũ laborantes itinerantes ꝑegrinantes ac nutrientes paruulos et hmõi quomodo et quãdo a ieiunio excuſantur: vide plenius in ſumma.

¶ Quartum preceptum de honore parentum. Et habet duo capitula. Primum.

Habeas in honore parentes. Quere primo ſi dixit verba contumelioſa vel obprobrioſa parẽtibus mortaliter peccauit: et multo magis ſi verberauit etiã leuiter. ¶ Idem ſi parẽtes irriſit. ¶ Si blaſphemauit vel maledixit ipſis defunctis ⁊ viuis. ¶ Si non obediuit eis in licitis ex cõtemptu peccauit mortaliter etiã in paruis rebus: ſecus ſi ex negligentia in rebus non multũ ponderis. ¶ Si nõ prouidit neceſſitatibus eoꝝ cum poſſet mortale eſt. ¶ Si nõ impleuit legata facta ab eis ad pias cauſas: ſed multũ diſtulit propter incõmoditatẽ cum tamẽ poſſet peccauit mortaliter. ¶ Si non reuerenter ſe habuit ſed contempſit vel dure locutus eſt: vel ꝓuocauit ad iram: vel non ſupportauit eos: vel diligenter non prouidit veniale eſt.

¶ De gubernatione familie. c. ij.

¶ Si non ꝓuidit magnis neceſſitatibus victus et veſtitus filiorum vxoris ſeruoꝝ: cum poſſet ex auaritia vel crudelitate: mortale eſt. ¶ Item ſi propter hoc illegitimos filios miſit ad hoſpitale: vel ſeruos qui ſibi bene ſeruierunt.

¶ Si nõ adhibuit diligentiã ad hoc vt boni eſſent ⁊ mandata dei et eccl'ie obſeruarẽt: vt de cõfeſſione: cõmunione: auditione miſſe ꝓ honeſtate et hmõi. et ſi notabilẽ in hoc cõmiſit diligentiam nõ curando vel nõ corrigendo mortale eſt vel veniale graue. ¶ Si dixit vxori verba ɔtumelioſa vocãdo ſcortũ et hmõi vel verberauit aſpere ſine cauſa ratõnabili: ſed ex iniuria mortale eſt. ſecꝰ ſi alias ei dura et aſpa verba loquit̃. ¶ Si vxor contendit cũ viro in licitis rebus volẽs obedire ex hoc ꝓuocans eũ ad blaſphemandũ deũ vel ſanctos vel ad aliud grãde incõueniens mortale eſt ſi eſt occaſio data ad hoc. ¶ Si vir permittit vxorẽ facere vanitates aut ornatus vel tripudiatus et hmõi et alia multũ ꝓuocantia ad laſciuiã mortale videtur: ſi vero non videt̃ multũ exceſſus veniale. ¶ Mater q̃ mittit filias ad choreas et alias mundi vanitates: et nõ ducit ad miſſam confeſſionẽ: cõionem peccat mortaliter: et non videt̃ poſſe excuſari a mortali. ¶ Si dominus vel dñã non ꝓuidit neceſſitatibꝰ corporalibus ſeruoꝝ et ancillarũ et infirmos mittit ad hoſpitale et nõ curat de neceſſitate eoꝝ: vel non dat eis abilitatẽ ad cõfitendum: cõicandum: audiendũ miſſam cũ poſſit: vel facit in feſtis laborare mortale eſt in quodlibet hoꝝ. ¶ Si nimis dure vel nimis remiſſe alias ſe habuit in gubernatione familie: in quo omnes delinquũt etiã ꝑfecti cõiter veniale eſt. di. xxv. c.

¶ Quintũ preceptũ de homic. et habet. c. vnũ. ¶ Qualis.

Non occiſor eris. Et pͥmo quere ſi occidit extra ordinẽ iuris aliquẽ voluntarie preter intentionẽ caſu dando operã rei illicite: vt in ludo noxio vt ad ſaxa: vel etiã rei licite: ſed nõ adhibendo debitã diligentiã: vt ꝓijciendo tegulas de tecto mortale eſt: et caſus ẽpis reſeruatus. ¶ Item ſi ex neceſſitate euitabili et etiã ineuitabili ad quã peruenit ex culpa: puta quia adulter eſt inuentꝰ a viro mulieris adultere qui vt mortẽ euaderet eum occidit interrogandũ eſt de cauſa homi-

cidij. ¶ Si iudex occidit aliquē innocentē ſcd̃m iura: vel ali-
quē nocentē: ſed preter ordinē iuris vel ſcd̃m ꝓceſſum ordina
rium ſed nō habens legittimū dominiū: vel habens poteſtatē:
ſed nō ex iuſtitia ſed ex vindicta vel auaritia vel crudelitate: et
eſt caſus ep̄alis niſi in vltimo puncto. ¶ Si mulier grauida
queſiuit aborſum ꝑ medicinas vel labores vel ꝑ alium modū
etiam ſi nō ſequat̄ effectus eſt mortale in ea et in quocūqȝ con
ſulente et op̄ante ad hoc nō tamen eſt caſus ep̄alis ¶ Si vero
ſequit̄ effectus et puerperiū erat formatū in vtero: homicidiū
eſt in ea et in coop̄ante et in cōſulente: vnde caſus ep̄alis eſt.
In aliquibus etiā locis ſi non ſequit̄ effectus ꝑ ſynodales cō
ſtitutiones eſt ep̄alis: et alicubi eſt excōmunicatio. ¶ Si occi
dit mater filiū vel filiam ſponte ad occultandū crimen ſuū gra-
uiſſimum eſt et multo plus ſi non baptizatū. ¶ Si pater fi
liam vel frater ſororē fornicantē: ſi vir vxorem: ſi vxor virū ꝓpter
odium vel amorē ad aliquē alium: ſi filius patrē vel matrē ex
ira vel auaritia: vel fratrē frater: grauiſſima ſunt et digna ma-
gna penitentia et ep̄o reſeruata. ¶ Et nota ꝙ ep̄i ſolent com
muniter eos mittere qui ire pn̄t pro caſu homicidij ad penitē-
tiarios curie ad terrorē incutiendū. Si tamē volunt: pn̄t abſol
uere tales ꝑ ſe vel per alios: ideo pape nō reſeruat᷒ ¶ Si ma-
ter vel nutrix ſuffocat filiū vel filiam quē tenet iuxta ſe inaduer
tenter opprimēs eum mortale eſt ꝓpter negligentiā et eſt epiſco
palis ¶ Si mulier grauida p̄ter intentionē abortitur: ſi com-
miſiſſet ibi notabilē negligentiā: puta quia nimis ſaltauit: vel
quia nimis inordinate laborauit: vel ꝓpter inordinatas laſci-
uias nō eſſet abſqȝ mortali peccato. ¶ Idem in viro vel in alio
ꝑcutiente eam vnde hoc ſequit̄: ſecus vero ſi nō eſſet in cauſa.
¶ Si quis etiā non occidit tamē mutilat aliqđ membrū vel
reddit inutile aliter extra ordinē iuris: vl̄ vulnerat: vel alias per
cutit aliquem ex iniuria peccat mortaliter. ¶ Item ſi iniuſte

incarcerat vel tenet per violentiam ne liber poſſit abire niſi face
ret per punctū temporis ad impediendū malum eius. ¶ Si
clericum habentē tantum primā tonſuram: eſt excōmunicat⁹.
¶ Si quis verbo vel mandato ſcʒ mandato pſuadendo con
ſulendo: ratificando: vel incitando coopatur aliquod predictoꝝ
vel mortem vel corporalē leſionem peccat mortaliter ⁊ ſi non ſe
quatur effectus. ſed ſi ſequit̄ effectus grauius eſt: et ſi percuſ
ſit vel hmōi: incarceratus eſſet clericus vel religioſus: in quoli
bet pdictorum caſuū pcutiens vel includens eſt excōmunica
tus: niſi eſſet prelatus eius qui hec faceret cauſa correctionis.
Et vbi in pdictis ſcʒ mandato: conſilio: cooperatōne vel facto ſi
eſſet enormis iniuria facta clerico vel religioſo non pōt abſolui
citra ſedem apoſtolicā vel legatum vel ſummū penitentiariū.
Secus vero ſi nō eſſet enormis iniuria. De hmōi materia ha
bes diffuſe in quarta parte ſum. ¶ Enormis iniuria dicitur
quando ad mutilationē membri ſeu effuſioneʒ ſanguinis ma
gnam ſcʒ per vulnus illatum pceſſum fuerit. Aut ſi in epūm
vel in abbatē ꝓprium manus violēter iniecta ſit. vt. c. cum illoꝝ
de ſen. excom. Aut eīn dicitur enormis arbitrio boni viri ex circū
ſtantijs locorum tempoꝝ pſonarum. vt inſti. de iure naturali
§. atrox. Uel ſi eſt facta religioſo: qꝛ non abſoluit̄ talis citra
ſedem apoſtolicā vel legatū eius vel eius ſummū penitentia
rium: ſecus vero eſſet ſi non eſſet enormis. ¶ Si quis interfe
cerit vel mandauerit vel fecerit interfici aliquē chriſtianum per
aſſaſſinos: etiā ſi non ſequatur effectus: eſt excōmunicatus et
depoſitus omni gradu ordine et dignitate ſeculari vel eccleſia
ſtica: et ſimiliter receptor et defenſor hmōi aſſaſſinoꝝ. c. pro hu
mani. de homič. li. vi. Dicunt̄ aſſaſſini quidaʒ heretici. vide de
hoc in. iiij. parte ſum. ti. i. ¶ Si quis deſiderat mortem alte
rius deliberata ratione in malū altius: ſiue ex odio: ſiue inui
dia; ſiue ex auaritia vt habeat eius bona; vel ex luxuria; vt aliā

accipiat. vel ex ſuperbia: vt in platione ſuccedat. vel ex accidia: ne habeat cauſam gubernādi eum: vel vt ſit magis liber et nō habeat corripientē: in quolibet hoꝝ eſt mortale. ſecus autem ſi hoc deſiderat ne ipſemet vel ille deū amplius offenderet: vl ne peior efficeret: aut ne bonis perſonis vel eccleſie dei noceat ſicut tyranni. ❡ Si vero quis ex impatiētia et ira pcutit ſeipſum iniurioſe peccat mortaliter: et ſi clericus ſit eſt excōmunicatus ſecus ſi ex zelo deuotionis ad reprimendā carnem vel temptationes: non tamē licet abſcindere aliquod membꝝ: alias peccaret mortaliter et efficeret irregularis: et ſi eſt cleric⁹ eſſet excommunicatus. ❡ Si occidiſſet vel vulneraſſet aliquē in loco ſacro: eſſet ſacrilegiū et eccleſia violata. ❡ Si p violentiā etiam ſi ſit officialis eduxerit malefactorē vel debitorem de loco ſacro vel fecerit capi eum peccauit mortaliter. ❡ Si fecit vel fieri fecit torneamentū vel aliud ſpectaculū vbi ſit periculū vite mortale peccatum eſt.

❡ Sextū preceptū de luxuria actuali et ſpēbus eius. c. vnū.

Non mechaberis. Luxuria actualis que committitur extra matrimoniū ſemp eſt mortale peccatū in omnibus ſpeciebus ſuis que omnes hic ponūtur. quia diſtincte oportet eas confiteri vel interrogare cōfitentes ſi a ſeipis non dicunt: nullo modo tamē neceſſe eſt interrogare de his omnibus niſi neceſſitas cogat ne quis addiſcat qđ neſcit: ſed put conuenit pſonis que confitentur: et cum habet vltima ſpecies non eſt vltra deſcendendū ad alias particulares circūſtantias non neceſſarias: et cauto et honeſto modo interrogandum eſt. ❡ Si cognouit ſolutus ſolutā: que dicitur fornicatio: et ſi eſt meretrix: vel ſerua ſua vel alterius: vel vidua: etiaꝫ ſi tales induxit ad peccatū. ❡ Si tenuit cōcubinam et quanto tempore: quia vltra fornicationē eſt ibi ſcandalum proximorum: quia publicum licet ſit fornicatio.

¶ Si virginē defloꝛauit extra matrimoniū quod dicit̄ ſtupꝛū et ſi ſeduxit eam ꝓmittendo ducere in vxoꝛē cogend⁹ eſt in foro conſcientie vel ducere eam in vxoꝛē ſibi: vel eam dotare ſi poteſt: et iniuriatus eſt parentibus eiuſdem ſi hoc neſcierunt. ¶ Si ipſe ſolutus cognouit vxoꝛē alterius vel ipſe vxoꝛat⁹ cognouit ſolutā qđ dicitur adulteriū: et eſt duplex quādo vterqꝫ eſt cōiugatus. ¶ Si intulit violentiam alicui qđ dicitur rapt⁹ et ſi cōtra voluntatē parentū grauius eſt. ¶ Si nupte vel virgini vel moniali grauiſſimū eſt. ¶ Si cognouit ꝯſanguineā ſuā vel conſanguineā vxoꝛis ſue vſqꝫ ad quartū gradū conſanguinitatis vel affinitatis: et dicit̄ inceſtus. ¶ Idem de muliere que ꝑmittit ſe cognoſci a cōſanguineo viri ſui. ¶ Si cū moniali ſcelus eſt oꝑatus: vel cum habēte profeſſionē caſtitatis: et dicit̄ ſacrilegiū. ¶ Idem ſi mulier cū clerico religioſo p̄lato oꝛdinario et hmōi. ¶ Si cognouit cōmatrem vel quaꝫ tenuit ad baptiſmū filiam ſpūalem vel chꝛiſma: vel quā audiuit in confeſſione: et dicit̄ inceſtus vel ſacrilegiū. ¶ Idem de muliere que cum cōpatre ſe miſcuit volūtarie. ¶ Si per ſemetipm̄ vigilās et voluntari⁹ ſe polluit: et dicit̄ mollicies ſiue manibus ꝓꝛijs vel alijs modis: de modo nō eſt interrogandū. ¶ Si cū maſculis oꝑatus eſt turpitudineꝫ: vel femina cū femina: vel vir cum muliere extra vas debitū: et dicit̄ viciū ſodomiticū ¶ Si cum bꝛutis oꝑatus eſt nephas et cuꝫ quibus: et dicitur viciū beſtialitatis. ¶ Si diebus feſtiuis aliqđ hoꝛum oꝑatus eſt quia grauius eſt. ſcđm aliquos vero neceſſe eſt confiteri hmōi circūſtantiam: quia mutat ſpecieꝫ peccati. ¶ Si in eccleſia vel in loco ſacro aliquod p̄dictoꝛum cōmiſit: quia dicit̄ ſacrilegiū et per hoc violatoꝛ eccleſie: et ſi iſtud eſſet manifeſtū eſſet reconcilianda eccleſia. ¶ De peccatis vero que cōmittuntur in coniugio ſcilicet tactib⁹ et actibus inhoneſtis et oſculis ac verbis et huiuſmodi dicetur in capitulo de luxuria.

¶ Nota tamē q̄ de iure cōmuni peccata luxurie non ſunt reſeruata epis: nec p aliquo illoꝝ eſt lata ſententia excōicationis a iure: ſed cōiter per ſynodales conſtōes epiſcopoꝝ aliquos ex dictis caſibus ſibi magis reſeruant: vt inceſtū ſacrilegiū ſcilicꝫ cum monialibus aliū vero epi vitium beſtialitatis: aliḯ etiam viciū ſodomiticū et quedā alia in quibus eſt lata ſentētia excō-municationis p ſynodales conſtōnes. Et ideo quere in dyoceſibus in quibus audis confeſſiones.

¶ Nonū preceptū de luxuria mentali et eius ſpēbus. c. i.

Et nota q̄ cogitationes cōmittendi aliquod peccatum luxurie q̄ ſunt in conſenſu rationis ſemp ſunt peccata mortalia et ſemp contra hoc preceptū. Non deſiderabis vxorē primi tui. et ſunt diuerſarū ſpecierū ſicut ſunt opa carnalia licet nō ita grauia mortalia ſicut opus exterius commiſſum. et cum dicit penitēs ſe habuiſſe cogitationes quibus ex ratione cōſenſit: interroget cōfeſſor erga quas pſonas et cum quibus habuerit: q2 ſi erga coniugatā eſt adulteriū: ſi ad ſolutam et ipſe ſit ſolutꝰ eſt fornicatio. ſi cum cōſanguinea eſt inceſtus. ſi cū maſculo eſt ſodomiticū. ſi cum virgine extra matrimonium eſt ſtuprū. ſi cum religioſa eſt ſacrilegiū. ſi per violentiam eſt raptus. Interrogandū etiā eſt quotiens habuit hmōi cogitatōnes ad aliquā: quia totiens peccauit mortaliter. Si p interualla tempoꝝ hoc fecit: videlicꝫ ex ratione deſiderat fornicari cū aliqua: poſtea vero ſe occupat in aliquo negotio vel cogitat de gubernatione domus et hmōi: et exinde iteꝝ deliberat fornicari peccat denuo mortaliter et ſic deinceps. Sed ſi continue verſat in tali cogitatione p horas: vnum tantū peccatum eſt ſed tanto grauius quāto diutius pſeuerat cogitando. Itē ſi mutat cogitationes de vna pſona ad aliam vel ad diuerſam ſpēm cum eadem pſona deliberans p ſe de qualibet ſemp de nouo peccat mortaliter. Unde ſi centū mulieres videret vnam

poſt aliā et ad quālibet ſpāliter aīmū determinat: centū mor
talia committit: ſecus ſi vna cogitatōne hoc appetit: quia vna
eſt habens deformitatē tot peccatorū. Interrogandū eſt ſi die-
bus feſtiuis diſcurrit p eccleſias procando mulieres: et ſi phy-
locaptus ex aliqua ſecutus eſt eam: et quāto tempore: qd dici-
tur de viro. Idem dicendū eſt de muliere erga virū. De decla-
ratione moroſa in cogitatione ſupra dictū eſt in. c. de luxuria.

¶ Si mulier cum tentatur habere amatores et cum ppen-
dit aliquē vel aliquos procari vel eam amare carnaliter: ponit
ſe ad feneſtrā: vel vadit per aliquem locum vt videat ab eo: vel
ponit ſe in eccleſia vel alio loco publico vbi diſcurrūt iuuenes
ad procandū mortale eſt: etiā ſi non appetat peccare cū talibus
quia occaſionē ruine preſtat. extra. de iniur. et dam. da. c. ſi.

¶ Septimum preceptū de furto non faciēdo: et de vſura que
diuerſis modis fit. Et habet octo capitula.

Furtum non facies. De vſurpatiōe rei aliene que in hoc
precepto phibetur. ¶ Nota q in omnibus infra ſcrip
tis ſpeciebus eſt mortale peccatū et tenet ad reſtitutio
nem ei a quo res capta eſt q ſi ille ignoratur vel nō inuenitur
pauperibus eroganda eſt ⁊ non ſolū qui accipit: ſed etiam he-
res eius ſi tamen de bonis eius ad eum peruenit. c. michael.
extra. de vſuris.

¶ Circa vſuram querere primo.

Si mutuauit pecuniā numeratā vel aliquid eorū que vſu
conſummūtur: vt frumentū vinum oleum et hmōi intentione
aliquid recipiendi vltra ſuū capitale: et illud plus quod accipit
tenetur reſtituere ¶ Si mutuauit ſuper pignus rei mobilis:
puta veſtis equi et hmōi vel imobilis: vt domus: agri: et hu-
iuſmodi: et interim accipit vſufructū pignoris: dum alius te-
nuit pecuniā ſuam vſura eſt. Excipitur tamē caſus quādo ge

ner accipit poſſeſſionē in pignus a ſocero ſuo: quouſqꝫ dat ſibi dotem: et ſuſtinet onera matrimonij nutriendo vxorem ſuam. extra. de vſur. c. ſalubriter. ¶ Si poſuit pecuniā penes merca torem vel artificem cum intentione aliquid percipiendi vtilita tis licet non fiat pactū de hoc: ſed ponit in diſcretione eius vo lens in omni caſu capitale ſuū ſaluū vſura eſt. ſed ſi vult ita participare de damno ſicut de lucro: tunc licꝫ etiā cum pacto et in hoc ſolent etiam offendere mulieres de dotibus ſuis: et di cuntur vulgariter depoſita: ſed eſt vſura. c. pleriqꝫ. q. iiij. iij. in textu et gloſa.

¶ De soccedis animalium.

¶ Si in ſoccedi animaliū: pecorum: boum et hmōi. ita paci ſcitur vt capitale ſit ſaluū eſt vſura: ſed ſi non eſt ſaluū ſed ni mis grauatur vna pars non eſt vſura ſed iniuſtitia. ¶ Si in emptione fructū terre vel aliarū rerum exeoꝗ ante p aliquos menſes ꝗ reciperet fructus vl alias res ſoluit precium et ꝓpter hoc emit nimis iuſto precio: vel ſi valebat decem emit pro no uem vſura eſt. ſecus ſi faceret hoc ꝗ veriſimiliter poteſt etiā ni mis valere ꝗ illud quod ſoluit videlicet octo.

¶ De venditione ad terminum.

¶ Si vendidit ad credentiam ſeu terminū pannos laneos: lineos de ſerico: vel alia quacunqꝫ maiori precio ꝗ ad contan tos: quia ſi vendidit ſic plus iuſto precio ratione dilatationis vſura eſt. ſi vero non vendidit plus iuſto pcio ſed non vult fa cere ita bonū forum ei ſicut illi qui dat pecuniā numeratā ſibi non eſt vſura. Tho. et extra de vſur. c. nauiganti. et. c. in ciuita te tua.

¶ De cambijs.

¶ Si fecit cambia minuta puta de vno floreno aureo ad mo netam vel econuerſo accipiēdo aliquid ſecundū communē cur ſum non eſt illicitū. ¶ Si fecit cambia realia per litteras de loco ad locum: et non ficta eſt licitum moderatum lucrum.

¶ Si fecit cambia q̄ vulgariter dicunt̄ ſicca: vt per venetos a libꝛe de groſſi: vſura eſt. qꝛ realiter eſt ſibi mutuū: ſed ſub ſpe lucri hec frequentant̄ Floꝛentie. ¶ Si tutoꝛ vel curatoꝛ pupillorum vel ꝓcuratoꝛ et factoꝛ cuiuſcunqꝫ pecuniā pupilloꝝ vel patronoꝝ dedit ad vſurā in vtilitatē illoꝝ vltra peccatū moꝛtale cōmiſſum in caſu quo illi nolint. vel nequeāt reſtituere: quia illi qui habuerūt vtilitatē pꝛincipaliter tenent̄: ſed non reſtituentibus illis tenet̄ ꝓcuratoꝛ tutoꝛ et curatoꝛ et hmōi. ¶ Si quis emit agrū vel domū multo maioꝛi pꝛecio q̄ꝫ valeat: intendens venditoꝛ reemat ab eo deducēs hoc in pactum: et ipſe interim fructus recipiat: vſura paliata eſt.

¶ De mutuantibus ſub ſpe.

¶ Si quis ꝓpter pecuniā mutuatā aliquādo petit vel ſperat pꝛincipaliter habere ab eo aliqđ obſequiū vel vtilitatē que pꝛecio poſſit eſtimari: vt opera laboꝛatoꝝ vel boū ad colendū terras vel mutuationē iumentoꝝ vel aliquod donū vel vt pꝛocuret ei officiū vel beneficiū eccleſiaſticū vel ſeculare: vel q̄ꝫ det ſibi ꝓpter hoc plus de fructibꝰ terre eius quā colit vſura eſt. Et qñ pꝛopter hoc non ab eo cui mutuauit: ſed ab alio vt a dño vel a cōitate recipit vtilitatē: exinde debet illud paupibus erogare.

¶ De accipientibus ad vſuram.

¶ Si quis accipit mutuo ad vſurā non ad ꝓuidendum ſue neceſſitati ſed vt det ipē ad vſurā vel ludat: vel alias male vtatur peccat moꝛtaliter. ¶ Idem ſi eum inducit qui alias nō erat feneratus. Pe. de palu.

¶ De facientibus ſtatuta in fauoꝛem vſurarioꝝ.

¶ Si fieret ſtatutū in aliqua ciuitate vel caſtro vel loco q̄ꝫ vſure ſoluant̄ vel q̄ꝫ ſolute non poſſint repeti: aut repetite nō debeant reſtitui: excōicati ſunt qui faciūt hmōi ſtatuta et qui iudicant ſecundū ipſa. Unde illi qui faciūt capitula cum iudeis: vt dñi et cōmunitates cōtinētia q̄ꝫ poſſint fenerari: vel q̄ꝫ non

poſſint repeti in iudicio vſure extorte ab eis et hmõi videntur incidere in hanc excõicationem. Domini vero qui hoc faciũt et ciues qui hoc conſulũt. extra. de vſur. in cle. ne ex graui.

Capitulum. ij.

De emptione vero denarioꝝ montis vel florentie: vel impreſtitoꝝ vt Venetijs: vel locorũ vt Janue: qꝛ aliqui ponunt cõtractum eſſe vſurariũ: alij vero non ſcꝫ contrariũ tenentes. Ideo nemini conſulas vt faciat contractũ factũ vero ſi potes inducere vt poſt mortẽ ipſius vel vnius alterius finiat vel ſatiſfaciat cõmunitati vel det paupibus: bonũ erit. Si vero nõ vult adherens opinioni ɔtrarie: non facile condemnes: qꝛ in hmõi ſcdm doctores non eſt ꝑcipitanda ſententia De his et alijs ſupra dictis habes in. ij. pte ſum. ti. ij. de vſur.

De fraudulentia q̃ multis modis cõmittitur. c. iij.

De fraudulẽtia que fit vel in rei ſubſtãtia vendendo vnã rem pro alia: vt vinum limphatũ pro puro. carnes pecudinas ꝓ caſtratis. cera et aromata cũ alijs mixturis. vel in quãtitate dando mẽſuras et pondera diminuta: puta vncias nouẽ pro libra. vel in qualitate: vt rem paruã ꝓ bona vt pannũ: ferrum: corriũ: aromata: animalia defectuoſa: fructus et hmõi. et in his ſi notabiliter damnificauit proximum peccauit mortaliter et tenetᵉ ad reſtitutionẽ. Si parum nec plus intendẽs venialiter et paupibus eroget. Si vendidit rem aliq̃ multo maiori precio q̃ꝫ valebat ſcdm cõmunem eſtimationẽ illius tpis aduertẽter peccauit mortaliter et tenetur ad reſtitutionẽ ſi pximus notabiliter leditur: ſecus ſi parũ. Idem ſi emit minori precio q̃ꝫ valeat ex ignorantia venditoris Si fraudauit iuſtas gabellas et pedagia tenetur cõmunitati reſtituere ſi multũ uel etiam parũ: ſed intendẽs multum mortale eſt.

De falſificatione. c. iiij.

Si quis falſificauit aliquod inſtrumentũ uel falſo ſcienter

ꝟtitur vltra mortale tenet̃ ad omne damnū quod inde ſequit̃.

¶ Si quis falſificauit litteras papales vel falſificatis ſcienter ꝟtitur eſt excōicatus cuius abſolutio pape reſeruatur. ¶ Si quis ex falſa cauſa ſuggeſta qua expreſſa non obtinuiſſet beneficium quod recipit licet ſit excōmunicatus: tamen tenet̃ ad reſtitutionem eius qd̄ ſic recipit ſeu ad renunciatōnem beneficij vel reſignationē et huiuſmodi. ¶ Si quis falſificauit monetas vltra peccatū tenetur ad reſtitutionē. Idem ſi falſis ſcienter ꝟtitur: et etiam ipſe qui in hmōi fuit deceptus. ¶ Si quis falſat mēſuras vel pondera ciuitatis vel cōmunitatis vel falſis ſcienter ꝟtitur vltra mortale tenetur ad reſtitutionē et omnium damnoꝝ inde ſequentiū. ¶ Si quis falſat litteras prelatorum vel ſigilla vel alioꝝ vltra mortale tenetur ad ſatiſfactionem omniū damnorum inde ſequēs. Idem de falſificante libros vel alias ſcripturas in damnū aliorum.

¶ Et nota ꝙ contra falſificantes inſtrumēta vel conſtitutiones per ſynodales litteras vel alia in quibus locis lata eſt ſententia excōmunicationis.

¶ Excōmunicatio papalis.

¶ Si quis in bullis papalibus apponit vel remouet vnam litteram vel punctū ſcōm Hoſt. eſt excōmunicatus excōmunicatione papali que fit in curia: nam de iure cōmuni non habetur: et hoc ſi bulle habent vigorē. nam ſi expiraſſet earū valoꝛ puta quia erat gratia ad temp⁹ et expiraſſet ſi totum traderet: non incurreret quis excōmunicationem nec aliquam penam. Hec Richardus.

¶ Capitulum quintū de iniuſtitia que fit in iudicio.

De iniuſtitia vero que fit a iudicibus: aſſeſſoribus: aduocatis: ꝓcuratoribus: et notarijs et de quibus dn̄t interrogari dicet̃ infra. ¶ Si officialis quicunq; dat iniuſtam ſententiā ſcienter vel ex ignorātia craſſa et ſupina te-

netur parti leſe ad ſatiſfactõnem omnis damni: niſi ſatiſfaciat ille pro quo eſt lata ſententia. et ſimiliter aſſeſſor vel alius qui ad hoc coopatur: et peccant omnes mortaliter. ¶ Aduocatus et pcurator qui ſcienter defendunt iniuſtã cauſam ſi obtineant ſimiliter tenent parti leſe ad ſatiſfactionẽ inſolidu[illegible] non ſatiſfaciat clientul⁹. ¶ Idem ſi pdidit iuſtam cauſa[illegible]gnorantia craſſa vel negligẽtijs. ¶ Accuſator et teſtis ſcienter pcedentes contra aliquẽ falſo tenentur de omni damno ipſi accuſato et peccãt mortaliter. ¶ Domini qui grauant ſubditos collectis iniuſtis tenẽtur ad reſtitutionẽ. De vicijs eoꝝ de quibus ſunt interrogãdi habes in. iiij. parte. c. ij.

## ¶ De furto. c. vi.

¶ Si quis rem aliquã occulte inuito domino nõ ſolum abſtulit ab extraneo: ſed etiã filius parentibus: vxor viro: ſeruus dño: diſcipul⁹ magiſtro: ſocius ſocio: cõſanguineus conſanguineo: furtum eſt ſi eſt aliqđ notabile damnũ: vnde eſt mortale et tenet̃ ad reſtõnem: ſecus ſi qđ minimũ vt aliquos fructus et quatrinũ et hmõi. ¶ Si rem ſibi mutuatã retinuit vel aliã rem alterius venientẽ ad manus eius non reſtituit furtũ fecit niſi ille tantundẽ haberet de ſuo certitudinaliter quod nõ vult reſtituere. ¶ Si inuenta que non habenẽ pro derelicto nõ reſtituit ſed ſibi retinuit. Et ſi poſt inquiſitionẽ non reperitur cuius ſunt inuenta debet paupibus erogare: alias eſſet mortale niſi ipſi vt indigenti darent. De theſauris inuentis multũ ſtatur cõſuetudini. ¶ Si vſus eſt pignore ad ſui vtilitatẽ contra domini dei voluntatẽ. ¶ Si vſus eſt re cõmodata ad alium vſum ꝙ fuerat cõmodata vel repoſita ſine licentia deponentis niſi preſumat dominũ rei eſſe contentũ tenetur huiuſmodi de illa vtilitate. ¶ Si religioſus dedit de bonis monaſterij ſine licentia ſuperioꝝ habita vel preſumpta. ¶ Idem ſi aliquid occulte recepit vel retinet: quod eſt mortale.

¶ Si p̄latus expendit bona ecclesie in turpes vsus deputa-
ta reparationi ecclesie vel paupibus vel bona monasterioꝝ:
peccat mortaliter. ¶ Si aliquis recipit a religiosis aliq̄d sine
causa rationabili: vel pro turpitudine vel lucri acquisitiōe: vel
causa a[illegible]e et parentele sine aliqua indigentia.

¶ De [illegible]gio quod cōmittitur circa res sacras. c. vij.

De sacrilegio q̄d est circa res sacras. ¶ Si imposuit
vel dedit sup hoc consiliū vt imponerent collecte cleri
cis siue ecclesiasticis p̄sonis non habita licentia a ro-
mano pontifice: et si secutus est effectus vltra mortale tenetur
ad restōnem: et nisi post admonitionē desistat est excōicatus.
¶ Si fecit vel fieri fecit statuta contra libertatē ecclesiasticā:
vel cōsuluit fieri vltra mortale tenet̄ de damnis factis estq̄ ex-
cōicatus ipse: necnon scriptores et iudicantes scd̄m ea. ¶ Si
vsurpauit patronatū de nouo alicui⁹ ecclesie vacantis vel mo
nasterij vel locoꝝ piorum vel bona ipsoꝝ locorum vacantiū est
excōicatus. ¶ Si abstulit res sacras vt calices et paramenta
de loco sacro: aut rem sacrā de loco non sacro et furans in eccle
sia res nō sacras. ¶ Si effregit locum sacrū vt portas ecclesie
vel locū religiosum: vel portas cōuentus vltra peccatū et obli-
gationē ad restōnem tenetur de iniuria et de damno et est ex
cōicatus: et ante denūciationem pōt absolui a dyocesano. post
denunciatōnem vero solū a papa vel penitētiario. c. conquesti.
extra. de sen. excom. ¶ Si fecit incendiū studiose in loco sacro
vel religioso idem iudiciū est sicut de effractore. vt di. c. puenit.
Incendiarij autē aliorum locoꝝ de iure cōmuni non sunt excō
municati. In aliquibus autē locis sic p synodales constōnes
¶ Si legata facta ecclesijs vel alijs pijs locis aut paupibus
nō soluit integre: et si nimis differt peccat mortaliter nisi impos
sibilitas eum excuset: et alicubi est excōmunicatio synodalis.
¶ Si clericus recipit beneficiū symoniace vltra viciū symo-

tie omnes fruct⁹ illius beneficij furtiue accipit et tenet ad reſti
tutionez. ¶ Si p̄latus eccleſie ex dolo vel lata culpa amittit
bona eccleſie tenet ad reſtitutionē. ¶ Si non dedit laicis de-
cimas vbi conſuetū eſt dare tenetur ad reſtitutionē.

¶ De rapina violenta. c. viij.

Rapina eſt quando res iniuſte aufert per violentiam.
¶ Si tempore alteri⁹ rapuit vltra mortale et reſti-
tutionem ad quā tenetur debz ei iam petere veniā ſi
cōmode poteſt de iniuria violēter illata. ¶ Si quis eſt pirata
p̄dans in mari quouſqz indifferēter vltra mortale et reſtōnem
ad quā tenetur eſt excōmunicatus papali excōicatione: vt ptz
per p̄ceſſum qui fit ānuatim in curia contra hmōi. ſecus vero
eſt de illis qui faciunt hoc p̄ci ſe contra illos cum quibus habēt
bellum. ¶ Si quis eſt dep̄datus Romipetas vel euntes vel
redeuntes ab vrbe Rome vel dep̄datus eſt portātes neceſſaria
ad vſum curie eſt excōmunicatus a papa. ¶ Si in bello iniu
ſto dep̄datus eſt etiā inimicos vltra mortale et reſtōnem non
debet abſolui: niſi diſponat in illo et in omī alio iniuſto nunq̄
ſe reperire. ¶ Si in bello iuſto abſtulit ab amicis: ſicut faciūt
ſtipendiarij: vel ab eccleſijs inimicoꝝ tenetur reſtituere. ¶ Si
inuaſit hoſtiliter vel diſcurrit p̄ terras eccleſie vltra peccatū et
reſtōnem eſt excōmunicatus excōicatione papali per p̄ceſſum
curie annualē. ¶ Nota q̄ omnes dantes conſiliū ad agredien
dum. ſiue ſumendū aliq̄d bellū iniuſtū ſine quoꝝ conſilio non
fuiſſet factū vel fieri non poterat tenet inſolidū de omnib⁹ dam
nis inde ſecutis. hoc Ray. et alij. ¶ Si participauit in crimi
ne rapine vel furti vel alteri⁹ iniuſte dammificatōnis in aliquo
infraſcriptoꝝ modoꝝ: qui continent in his verſibus. Iuſſio
conſiliū conſenſus palpo recurſus. Participās mutans nō ob-
ſtans nō manifeſtās. tenet inſolidū. i. in totū de omni damno
ſecuto: quouſqz iſti qui paſſus eſt ſatiſfactum ſit. ¶ Intellige

tamen hoc cum diſtinctione: videlicet ad primũ verſum de ta-
li iuſſione vel cõſilio vel conſenſu coopationis. vel palpo id eſt
adulatione. vel recurſu id eſt receptione latronũ vel rerum abla
tarum. tali dico adulatione et recurſu ꝙ ſine hmõi non fuiſſet
facta rapina vel damnũ alias no tenet̃ niſi inquantũ puemiſ-
ſet ad eum de re rapta: vel de quãto damno feciſſet cum ſuis:
vel quantũ plus fuiſſet factũ ꝓpter aliquod predictoꝝ ab eo fa-
ctorum ¶ Quantũ ad ſcðm verſũ Nota ꝙ non obſtans non
manifeſtans et etiã mutus tenet̃ quãdo ſunt officiales et pñt
impedire damnũ et non faciũt: alias non tenetur ad reſtõnem
licet peccent ſi poſſint impedire damnũ et non faciunt. Tho. in
iiij. di. xxij. Pe. et Alber. ¶ Item etiã plura dicit: vel plura de
his referũtur ſup. c. ſicut dignũ. de homici. ¶ Quantũ ad par
ticipationem iſtud fieri põt multipliciter. Uno modo coopan-
do cum aliis ad rapiendũ: et tunc ad illud tenet̃ quod recepit
vel dammificat ſi nõ fuit in cauſa principali vel quaſi ¶ Scðo
modo recipiendo per viam domi de rapina: et ad illud tenetur
qð recepit ¶ Tercio modo p conſummationẽ rapine: vt vict⁹:
veſtitus et hmõi. ſicut famuli raptoꝝ et famuli vſurarioꝝ: vel
ipſorum vſurarioꝝ qui habẽt omnia de rapina vel vſura: et te
nentur ad illud qð conſumunt ¶ Quarto modo p dotatio-
nem vt maritus qui ſciebat ſocerũ non habere niſi bona rapta
et vſuria non põt recipere dotem ⁊ ſi recipit tenetur reſtituere.
¶ Si aũtẽ filia remanet vidua tenet̃ reſtituere dotem: quia de
alieno eſt: ſed ſi neſciat eſſe tunc diuerſa eſt opinio inter docto-
res vtrũ teneatur maritus eius vel filia: ſed filia videtur teneri.
¶ Quinto per emptionẽ rei rapte vel furtiue: et ſi ſcienter fecit
cð ſui vtilitatez vltra mortale tenetur ad reſtitõnem ſi inuenit
dominũ rei: ſi vero nõ reperit paupibus erogare tenetur vel pre
cium eius: etiã ſi iam cõſumpſiſſet: ſi vero ignorãrer ſiue igno-
rantia iuris ſiue facti a peccato põt excuſar: ſed quãdo ſcit te-

netur ad reſtõnem ſi nondũ diſtraxit: etiã ſine precio petito a do mino rei ſed repetat a venditore ſi põt. ¶ Idem de omnibus qui ſucceſſiue emerẽt rem hanc niſi pri⁹ diſtraxerint illam rem: qꝛ bona fide diſtraxerunt vendẽdo non tenentur ipſi ſed emens eam. De hac materia vide in ſecũda parte ſumme.

¶ Qui impedit alium iniuſte a conſecutõne alicuius officij vel beneficij vel officij eccleſiaſtici vel ſecularis vbi ſibi erat iam ius acquiſitũ tenetur ad ſatiſfactionẽ talis damni. Si autem nondum erat ſibi ius acquiſitũ: ſed erat in via acquirendi tene tur ad arbitriũ boni viri quantuꝫ poteſt illud damnũ in ipſo dubio eſtimari. Similiter et qui deijcit iniuſte aliquẽ ab obtẽ to iuſte vel aliter ꝓcurat eijci: ſicut cum iuſte ꝓcedit. Tho. in iiij. ¶ Qui infert damnũ quod in ſpecie reſtitui nõ poteſt: vt mutilatio membri cũ quo ille lucrabat̃: videlicet manũ in ſcri bendo: virginitatẽ alteri auferendo: ꝓcipue per violentiã et ſedu ctionem. mortẽ inferendo alicui qui ſolo labore nutriebat fami liam ſciẽter dando ad vecturã vel vendendo equũ claudicantẽ vel aliter nociuũ et non illi indicãdo: vnde emptori ſequit̃ nocu mentum tenet̃ ſatiſfacere de hmõi ad arbitriũ boni viri. ¶ Si mulier ſupponit ſibi alienũ partũ vel cõcepit de adulterio ne ſciente viro tenet̃ viro de omnib⁹ expenſis factis filio putatiuo et cõſanguineis et filijs vel alijs heredib⁹ de his que ꝑuenerũt ad eam bonis non tamẽ tenet̃ mulier illa manifeſtare cũ peri culo vite ſue. Ray. ſed quomõ agendũ ſit: vide in. ij. ꝑte ſum. ti. de reſtõnibus. ¶ Si exiſtẽs camerarius ſiue theſaurari⁹ com munitatis q̃ vulgariter dicit̃ camerlingus ſeu notarius ſeu ali quod habẽs officiũ pro quo eſt ſufficiẽter ſalariat⁹ et nihilomi nus ab his ꝑſonis cum quib⁹ exequitur officiũ ſuũ: puta faci endo cedulas et hmõi aliquid exigit̃ vſurpatio eſt. nec puto qꝫ excuſet eũ ↄſuetudo ſicut nec a rapina: ꝓpter hoc eñ ſtatuũtur ſalaria ne petat ab illis vnde et peccat et dꝫ paupibus erogare.

hoc dico quia difficile eſſet dare tale quid ꝓpꝛ̃ijs perſonis cum quid modicuꝫ ſit. ar. xiiij. q. v. c. non ſane. ¶ Si cum piurijs cõmunitatis quis habet in depoſito negociat̃: et ſi quid cum eis lucrat̃ per cõtractus vſurarios tenet̃ reſtituere vſuras ei a quo accipit. Si vero per contractũ licite videtur teneri cõmunitati ſaltẽ pꝛo parte vel partem paupibus erogare tenet̃ur

¶ Si quis ingreſſum in religionẽ educit vel per violentiã vl tra peccatũ moꝛtale cõmiſſum eſt excõicatus cum violentiã infert pſone et tenetur illũ vel alium inducere ad religionẽ in ſatiſfactionem: vel tenetur ipſe ingredi ſi nõ habet impedimentũ. ſcõm Pe. et Jo. ¶ De eo vero qui nõ omnino intendit ingredi religionẽ ſed nondũ ingreſſus reuocat̃ per aliquẽ ab illo ꝓpoſito. Idem dicunt quidã quando ſcꝫ non ex cauſa iuſta: puta quia in illa religione male viuitur ſed ex cauſa rationabili.

¶ Decimũ preceptũ de deſiderio habendi res alienas. c. vnũ.

Ltra preceptũ operis iniuſte vſurpatiõis diuerſarũ ſpecieꝝ de quibus dictũ eſt: etiam interrogãdum eſt de deſiderio habito circa res alienas habẽdas ſeu acquirendas iniuſto modo qꝺ deſideriũ ſiue cogitatio ſi eſt cum conſenſu rationis et alicui⁹ rei notabilis ſemp eſt peccatũ moꝛtale eiuſdẽ ſpeciei cuius eſt op⁹ illius iniuſte acq̃ſitionis ſicut verbigr̃a. deſiderans habere p vſuras eſt ſpecies vſure: ſi p rapinas eſt rapina. ſi p viam occultã eſt furtum. ſi rem ſacram eſt ſacrilegiũ et ſic de alijs. ideo interrogandũ eſt quomõ deſiderauit rem alienã vt habetur ſpẽs peccati q̃ neceſſaria eſt confiteri. In his tamẽ peccatis coꝛdis nõ tenetur ad reſtõnem.

¶ Nota etiã cum quis aliquẽ damnificat pꝛimum in minimo ſi habet ꝓpoſitum damnificandi in multo ſi poſſet: peccat moꝛtaliter. Unde ementes et vendentes qñcunqꝫ parati ſunt decipe pꝛoximũ in multo ſi poſſunt cõmode moꝛtaliter peccãt. licet actu de modico decipiant.

Octauū preceptum. Non eris teſtis iniquus.

De mendacio. c. i.

De mendacio. Si dixit mendaciū pnicioſum id eſt quod ſit contra honorem dei vt in his q̄ ſunt fidei vel damnū notabile primi ſpūale vel tēporale mortale ē ſcd̄m Tho. ſcd̄a ſecūde. verbi grā. Si dixit fornicationē vel vſuram nō eſſe peccatū mortale. Si negat q̄ ipſe vel alius debet dare primo ſuo qd̄ ipſe nouit et hm̄oi. ſi dixit mendacium iudicio interrogat⁹ a iudice piurus eſt et peccauit mortaliter ſcd̄m beatū Tho. Si dixit mendaciū in confeſſione de neceſſario cōfitendis mortale eſt. Idem ſi in p̄dicatione ſtudioſe mortale eſt: niſi ex ſubreptione vel ſubita locutione impmeditate. Si pſona que dicit mendaciū etiā officioſum eſt pſona auctoritatis: et magne reputatiōis ſeu pfectionis poſſet per accidens tale mendaciū eſſe mortale ſi inde ſequeretur graue ſcandalū in mentibus hominū. Si dixit mēdacium iocoſum. id eſt cauſa ſolatij: vel officioſum. id eſt ad vtilitatē alicui conſequendā ſpiritualē vel temporalē ſine nocumēto alterius ſemp eſt veniale peccatū. Tho. ſcd̄a ſecūde. q. iij. Si dixit falſum teſtimoniū contra aliquē in iudicio: vel accuſauit iniuſte vltra mortale peccatū tenetur de omni damno leſo: et etiā ad reſtitutionē fame: vt ſcʒ dicat ſe falſum dixiſſe: ſed poſtq̄ ille eſt punitus nō tenetur pter piculum qd̄ ei immineret.

De detractione. c. ij.

Detractio eſt per quā aufertur fama alterius et multipliciter. Si quis imponit alteri aliquid falſum qd̄ ſit notabile: mortale eſt et tenetur ad reſtitutionē fame: niſi ex hoc immineret ei magnum piculum. Tho. ſecūda ſecūde. Si ad peccatū alterius qd̄ narrat addidit aliquid notabile vltra peccatū tenetur ad reſtitōnem fame: niſi ex hoc immineret ei magnum periculū. Tho. ſecūda ſcd̄e.

¶ Si ad peccatū alterius quod narrat addidit aliquid notabile: vltra peccatū tenetur ad reſtitutionē fame: ſi illud dictum importat infamiā. ¶ Si peccatuꝫ alterius mortale cum eſſet occultum ad diffamandū manifeſtauit alijs: peccauit mortaliter: et tenetur ad reſtitutionē fame inquantū poteſt: niſi illud crimen poſtea per aliam viam eſſet publicatū. ¶ Si peccatū alterius occultum manifeſtauit non intendens diffamare vel alias nocere: ſed ex quadā loquacitate nō videtur mortale niſi per accidens: videlicꝫ ſi ex hoc ſequeretur diffamatio illius: puta quia audientes publicant. ¶ Si accuſauit in iudicio vel denunciauit prelato crimen alterius: non zelo iuſtitie: ſed ex maliuolentia peccauit mortaliter: ſed ad reſtitutionē fame non tenetur ſeruato ordine iuris. ¶ Si fecit libellos famoſos. ideſt cedulas ſiue ſcriptas in detractionē alterius ponēs in loco publico vt legantur: aut cantilenas et hmōi: mortaliter peccauit: et tenetur ad reſtitutionē fame. ¶ Si peccatū alterius etiā manifeſtum narrat ex odio et intentione nocendi: peccauit mortaliter ſed ad reſtitutionē fame non tenetur. ſi autē ex loquacitate narrat: peccat venialiter. Sed ſi defectus alioꝝ qui ſunt peccata venialia cōmuniter recitauit ex loquacitate vel aliqua indignatione non eſt mortale peccatū: niſi ex hoc intenderet etiam diffamare. ¶ Si ſignificauit peccatū alteriꝰ mortale et occultum prelato vel parētibus confeſſori vel alijs qui ſunt perſone mature vt poſſit melius ꝓuideri: quod precipue habet locum cum timetur de recidiuo non eſt peccatū ſed caritas. ¶ Nota tamē ꝙ cum quis tenetur ad reſtitutionē fame ſi falſum dixit debet dicere his quibus dixit ſe falſum dixiſſe: nec excuſatur quia ſit ei verecundia magna. Si autē dixit verum: non debet dicere illis ſe falſum dixiſſe: quia eſſet mendatiuꝫ: ſed iniuſte et male dixiſſe. ¶ Si quis narrat crimen alteriꝰ prout audiuit dicens ſe audiuiſſe ſic ab eo dici licet occultū ex loquacitate vel leuita

te non videtur mortale:nec tenetur ad reſtitutionē fame:vel ſi eſt dubium. ¶ Si quis bona facta ab alio dixit mala intentione eſſe facta:videlicet ꝓpter ypocriſim et ſuperbiam et hmōi intendēs eum infamare:peccat mortaliter. ¶ Idem ſi negat bona facta pro aliquo. ¶ Si etiā tacet bona que ſcit cum eſt neceſſarium ad liberandum proximū. ¶ Si audiuit infamationes et diffamationes aliorū. Nam ſi hoc facit quia delectatur de infamia eoꝝ:peccat mortaliter. Si autē hoc facit quia delectatur de loquacitate ſed diſplicet ei infamatio aliorū non videtur mortale. In prelatis autē qui poſſunt huiuſmodi prohibere et non faciunt mortale videtur. diſt. xxv. § . alias autē ea demū. in gloſa.

# ¶ Incipit ſecunda pars in

qua tractatur de modo interrogandi penitētes a confeſſore de ſeptem vicijs capitalibus et eoꝝ ſpeciebus. Et primo de auaritia et habet capitula nouem.

¶ De auaritia q̄ eſt ſecundū vicium capitale.

¶ Titulus primus.

Auaritia tripliciter ꝑpetratur. ſcilicet iniuſte acquirendo. tenaciter retinendo. et inordinate amando. habetq; multas ſpecies. ¶ Primus modus ſcilicꝫ iniuſte acquirendi de quo ſupra dictum eſt in ca. Non furtum facies. reſtant tamen alique de quibus dicetur. ¶ Secūdus modus retinendi tenaciter. et tercius ſcꝫ amandi inordinate poſtea inferius ponentur.

¶ De ſymonia capitulum primū.

Symonia eſt circa ſpiritualia:et eſt ſemꝑ peccatū mortale in omni caſu. ¶ Nota ꝙ pecunia que recipitur

ſymoniace nō debet reſtitui ei qui dedit:ſ; de neceſſitate debet
paupibus erogari:vel illi eccleſie in cuius iniuriam data eſt.
¶ Si dedit pecuniā vel aliquid aliud qđ precio poſſit eſtima
ri ꝑ habendo aliquo ſacramēto vel baptiſmo:euchariſtia:be-
nedictione nuptiarū:penitentia:ordinatione:chriſmate:et extre
ma vnctione quaſi preciū huius ſacramēti cuius ſignū quādo
datur vt preciū et fit pactio cum dante. Idem ꝑſumitur quā-
do negatur ſacramentū ſi non dat̄ pecunia ſymonia eſt:nec ex
cuſat conſuetudo. ſecus vero eſt ſi dat vt elemoſynā et gratis
non coact⁹ ſed ſponte:et ad ſeruandū conſuetudinē non exact⁹.
¶ Si clericus exiſtēs accepit aliquid temporale ꝑ aliquo ſa-
cramento dato vel dando vt preciū eius:vel q̄ non dediſſet ſy-
monia eſt. ¶ Si dedit aliquid qđ precio poſſit eſtimari ꝑ ali
quo benefitio eccleſiaſtico ſimplici vel curato obtinēdo:ſymo-
niam cōmiſit:ſed ſoluendo taxam curie et bullas non reputat̄
ſymonia. ¶ Si ꝑ aliquo benefitio eccleſiaſtico vel dignitate
habenda aliqđ temporale dedit ſymoniā cōmiſit. Et idem de
conferentibus benefitia et offitia et hmōi pro temporalibus.
¶ Si emit vel vendidit aliquā capellā eccleſie:ſymonia eſt.
¶ Si emit vel vendidit ſepulturā eccleſiaſticā ſiue ſepulchrū
vbi ponit̄ cadauer ſiue officium eccleſiaſticū:ſymoniā cōmiſit.
¶ Si patronus exiſtens pro pecunia elegit vel ꝑſentauit in
ſtituendum:ſymoniā commiſit. ¶ Si emit vel vendidit ali-
quod iuſpatronatus alicuius capelle vel eccleſie:ſymonia eſt.
¶ Si porrexit preces carnales ꝑ aliquo indigno ordinando
vel benefitiando:ſymonia eſt ſi intendit vt ꝑlatus ratione pre-
cum principaliter aſſentire. ¶ Si fuit mediator ad ꝓcuran-
dum alteri aliquod ſpirituale: vt beneficiū:ordinem et huiuſ-
modi pro aliquo temporali. ¶ Si conduxit aliquē ad predi-
candum pactione pecunie et hmōi:ſymoniā cōmiſit:et ſimili-
ter predicator qui hoc modo acceptauit ſymoniā commiſit.

¶ Si filiam vel cõſanguineã vel ſeruã miſit ad monaſteriũ pactione facta de certa quãtitate ꝓ ingreſſu monaſterij: ſymoniam cõmiſit: necnon moniales niſi forte monaſterium eſſet adeo tenue ꝙ non ſufficeret illis ꝓuidere. De ſymonijs clericorum vide in tercia parte. c. de clericis. De hac vero materia ſymonie habes plenꝰ in. ij. parte. ti. i. de ſymonia. per totũ.

¶ De proditione. c. ij.

PRoditio frequẽter ex auaritia fit. ¶ Si ꝓdidit ciuitatem vel caſtrũ vel ꝑſonam inimicis: vltra mortale tenetur de omni damno inde ſecuto. ¶ Si ꝓdidit res alterius iniuſte auferẽtibus: idem. ¶ Si ꝓdidit ſecreta alterius iniuſte: vltra mortale tenet̃ de damnis inde ſecutis. ſecꝰ ſi ſecreta iniqua vt cõiurationes et tractatꝰ cõtra ciuitatẽ vel nocumenta ꝑſonarũ manifeſtat: qꝛ tunc bene facit et facere tenet̃ ¶ Si recepit aliquid ſub ſigillo cõfeſſionis: ſed nõ in confeſſione ſi reuelat peccat mortaliter: niſi illud eſſet quid iniquuꝫ cui poſſit obuiare manifeſtãdo: et ſi de hoc ꝑpendit quãdo promiſit peccauit mortaliter: ſed nec debet tenere ſecretũ quia etiã tunc peccaret. ¶ Si legit litteras alterius clauſas: videt̃ mortale niſi poneret ſpem in ratihabitione mittentis vel eius cui ¶ mittitur.

¶ De acceptione ꝑſonarum. c. iij.

¶ Si accipit ꝑſonam in iudicio videlicꝫ quia magis audit vnam ꝑſonam ꝙ aliam: vel credit vni magis ꝙ alteri non ſeruato ordine iuris: vel magis declinat vd vnã partem ꝙ ad alteram ratione amicitie et hmõi: poſſet eſſe mortale. ¶ Si in diſtribuẽdis beneficijs vel officijs eccleſiaſticis vel ſecularibus admittit indignos: peccat mortaliter et tenet̃ de damnis inde ſecutis ꝑſonis. ¶ Si in faciendis cedulis q̃ vulgariter ſcrutitinia ſcienter admittit indignũ: vel qui ꝓhiberet admitti vl' excludit dignũ peccat mortaliter. ¶ Si in diſtribuendis oneribus vel imponendis collectis ciuitatis ſcienter grauat aliquẽ

contra vel vltra debitū vel alleuiat peccat mortaliter: et ſi ſolū ex eius determinatione fieret talis diſtributio: tenet̄ dammificatis de damno. ſecus vero eſt ſi ponūtur in eo plures alij. Et ſi cum haberet diſtribuere elemoſinas alicuiꝰ ſocietatis vel teſtamenti et hmōi non fideliter diſtribuit: et ſi dediſſet non indigentibus vltra mortale tenetur ad reſtitutionē.

¶ De turpi lucro. c. iiij.

Si iudex accepit pecuniā vt iudicaret aut bene iudicaret: aut nō iudicaret: aut iniuſte iudicaret: peccat mortaliter. et tenetur illa reſtituere danti niſi dediſſet vt male iudicaret: quia tunc tenetur dare paupibus. ¶ Idem de teſte ꝑ teſtimonio falſo ferendo: quia peccat mortaliter ⁊ tenetur reſtituere. Si fecit inſtrumentum in fraudem vſurarū vt notarius peccauit mortaliter: et mercedem quā accepit debet paupibus erogare.

Si ſeruiuit vſurario in arte vſuraria peccauit mortaliter. et ſi bona vſurarij eſſent obligata reſtitutioni nō poſſet retinere ſalarium: ſed debet reſtituere creditoribus vſurarij: alias autē poſſet: ſed illud dare debet paupibus de honeſtate tamē non de neceſſitate niſi ipſe eſſet pauper. ¶ Si recepit pecuniam pro turpitudine vt meretrix vel mala mulier debet illam pauperibus erogare: non tamen de neceſſitate: ſed de conſilio honeſto. Si quis facit aliquā artem vel artificiū cuius vſus vt plurimū eſt ad mortale. vt facere taxillos vel cartas et huiuſmodi. peccat mortaliter nec debꝫ abſolui niſi diſponat illud dimittere. Lucrum vero ex hoc factum debꝫ pauperibus dare ex conſilio nō precepto. ¶ Si diebus feſtiuis emit vel vendidit negotiando niſi forte in nūdinis: vel fecit contractus alias non neceſſarios tunc: vel ſcripſit vel fecit aliquid manuale ꝑ lucro vltra peccatum. ſcd̄m aliquos debet illud lucrum paupibus dare et potius videt̄ de honeſtate ꝙ de neceſſitate. Si tempore meſſium vel vindemiarū emit bladum vel vinum vel fru-

ctus vt alio tempore vendat carius non exiſtens talis rei negociator:neqꝫ ꝓpter aliquem finem honeſtū ſed ꝓpter cupiditatē: turpe lucrum eſt.non tamen tenetur in aliquo. ¶ Si accepit aliquid vt aliquē eligeret ad dignitatem aliquā temporalē vel officium ſeculare: vel vendidit huiuſmodi officia ſecularia turpe lucrum eſt:non tamē tenetur ad reſtitutionem aliquā.

Si mercator vel alius portauit vel portari fecit ferrum:ligna:et quecunqꝫ mercimonia ad terras infidelium nō habens licentiam apoſtolicā eſt excōmunicatus excōicatione papali:incurritqꝫ alias penas.vt habes in .iiij.parte ti.per totū. Idem de dantibus in hoc conſiliū et auxilium. ¶ Si negociator exercet negociationes non ad aliquē finem honeſtū videlicet gubernare familiā ad vtilitatem patrie et huiuſmodi:ſed principaliter ob immenſā cupiditatem cōmittit turpe lucrum:non tamen tenetur de neceſſitate dare lucrum pauꝑibus: ſed vnam partem de conſilio et honeſtate.

## De ludo multiplici.c.v.

¶ Si luſit ad taxillos vel cartas vel ad alium ludū fortune ſi vicit per fraudē vel ꝑ falſos taxillos: vel mendacioſe: tenetur illud qđ ſic vicit reſtituere amittendi vltra mortale cōmiſſum : niſi ſit quid paruū. Si vicit ab eo qui alienare non potuit: vt ſeruo:religioſo:vxori:filiofamilias et hmōi.tenetur reſtituere his qui habēt curam illoꝝ et eſt mortale ſi eſt quid notabile et ſi ex cupiditate acquirēdi ludit. ¶ Si per multā importunitatem traxit alium qui nō intendebat ludere vel retinuit volentem recedere: vltra mortale tenet̄ illi ſi eſt quid notabile.

Si acquiſiuit ſeu vicit per ludum hmōi.in locis vbi prohibetur ludus et mandatur fieri reſtitutio ſiue legibus imperialibus ſiue municipalibus et ſeruatur quantū ad vtrunqꝫ: debet tunc fieri reſtitutio illi qui amiſit.ſecus ſi leges ille ſunt abrogate per contrariā conſuetudinem.

¶ Si vicit ꝑ ludum in aliis caſibus exceptis p̄dictis non tenetur illi reſtituere qui amiſit: quis poſſit elemoſinaliter ſi ſit pauꝑ elargiri: ſed debet pauꝑibus erogare de honeſtate et conſilio: ſcd̄m aliquos tenet de neceſſitate qd̄ tutius eſt. nō oportet tamē tales ſtringere ita ad certam reſtitutionē ſicut in furtis vſura et hmōi. ſcd̄m vero Ray. ſunt quedā ꝑſone quibus indiſtincte tenet quis reſtituere quicq̄d ab eis lucratus fuerit in alee et taxillorꝫ ludo. videlicꝫ furioſi: ꝓdigi: minores. xxv. annorum et maxime pupilli. Item mentecapti: ſurdi: muti: ceci: et qui ꝑpetuo morbo laborāt. quia tales rebus ſuis intereſſe id eſt ꝓuidere non pn̄t: ꝓpter quod dandi ſunt eis tutores et curatores. ¶ Idem videt dicendū de ſeruis monachis et ceteris clauſtralibus et filiisfamilias qui nō habent peculiū caſtrenſe vel quaſi: et de vxore que nō habet parafrenalia et etiā de adminiſtratoribus rerum eccleſiaſticarū que ſunt pauperꝫ et de ſimilibus ꝑſonis: tamē tales pecunie non ſunt reſtituēde eas ꝑdentibꝰ: ſed tutiori curatori: patri: monaſterio: dño: marito eccleſie et hmōi. De reſtitutione taliū vide pleniꝰ in ſum. in. ii. parte de reſtutione ludi. De aliis vero que contingūt in ludis vt fraudes: blaſphemie: amiſſiones temporis et hmōi. habes diffuſe in aliis capitulis.

## ¶ De inquietitudine. c. vi.

Inquietitudo circa tp̄alia acquirenda et ꝯſeruanda ¶ Si habuit immēſam ſolicitudinē circa hmōi: et ꝓpter hoc dimiſit aliquid neceſſariū ad ſalutē: vt miſſam et hmōi: eſt mortale. Si vero nō dimiſit neceſſaria: ſed remiſſior fuit quo ad ſp̄ualia veniale eſt. ¶ Si habuit nimiā ſolicitudinē circa huiuſmodi et parua cōfidentia auxilii dei in ſe nō eſt mortale ſed videtur veniale: eſt tamen multū impeditiuū deuotionis et aliorum bonorum ſpiritualium.

## ¶ De inhumanitate retinendi tenaciter. c. vii.

A Uaritia in retinēdo tenaciter ſeu inhumanitas non faciendi elemoſinas corporales indigētibus quando poteſt hoc verſu cōtinetur ſcꝫ. Viſito. poto. cibo. redimo. tego. colligo condo. ¶ Si habens ſuperflua quo ad naturam et quo ad decentiā ſtatus ſui pro ſe et familia ſua nō ſubuenit neceſſitatibus alioꝝ et non extremis ſed magnis quas nouit mortale eſt. ¶ Si habēs de ſuperfluo quo ad naturā et ſi non quo ad decentiā ſtatus pro ſe et familia ſua nō ſubuenit pauperibus extrema neceſſitate quos nouit: mortale cōmuniter iudicat̄. ſed hic oportet multa cōſiderare ad bene intelligendū. vide de hoc in. ij. parte. ti. i. ¶ Si non ſubuenit indigētibus de induſtria et arte ſua cū potuit vt medicus medendo et viſitando infirmos pauperes ſine ſalario: aduocat⁹ in aduocando: procurator procurando et hmōi: videtur mortale. ¶ Si quis nō ſubuenit pauperibus neceſſitates extremas patientib⁹ cum poſſet: vel tardauit dare et exaſperauit pauperes veniale eſt. ¶ Si parauit pauperibus nimis ſumptuoſa vel nimia queſtuantibus ſine cauſa indigentibus vel potentibus male elemoſinis: peccatū eſt potius ꝙ meritum. ¶ Si laborātibus pro eo in quocūqꝫ miniſterio nimis diſtulit dare eis mercedē vltra conuentiones factas cum tamē poſſit abſoluere: poſſet eſſe mortale ſi incurrerent graue damnū vel ſcandalū. ¶ Idem ſi aliquid defraudauit.

¶ De auaritia amādi res inordinate. c. viij.

N Ota ꝙ ſi quis res etiā iuſte acquiſitas ita inordinate amat vt inhereat eis vt fini: cuius ſignū eſt quando propter eas non amittendas eſſet parat⁹ facere contra aliquod preceptoꝝ dei: peccat mortaliter. quia plus diligit creaturam ꝙ deum. Si autē nullo modo vellet facere contra ſalutē ſuaꝫ propter huiuſmodi temporalia ꝙuis inordinate afficiatur ſeu amet ea: veniale eſt.

¶ De prodigalitate contraria auaritie. c. ix.

¶ Si ſupflue expendit ſuam ſubſtantiā vel in edificijs ſumptuoſis: vel in equis: vel in cōuiuijs delicioſis: vel frequētibus vel paleſtris: vel ludis: vel ornamentis: vel turpibus et pcipue mulierꝫ: vel in exenijs: vel hyſtrionibus et hmōi. peccatū eſt et quādo eſt notabilis exceſſus ſed eſt ſine conſenſu eſt veniale vel nullum etiā de re notabili ſcdm pportionem ſui ſtatus eſt mortale: vel in modico eſt veniale. Deſcendere autē ad particularia puta determinare qn̄ eſt mortale vel veniale nō de facili poteſt dari iudiciū certum a quo cognoſcatur.

¶ De inuidia que eſt quartū vicium capitale.

¶ Titulus ſecūdus de inuidia et eius ſpēbus quattuor. Et habet capitula quattuor. Primum.

Inuidia eſt triſtitia de alieno bono inquantū deſideratur vt diminutiuū pprie excellentie: et ſi ſit ex conſenſu rōnis mortale eſt niſi eſſet de aliqua re parua: ſicut puer qui inuidet alteri puero ꝙ habeat plures fructus et hmōi: ſed ſi ſit ſcdm motum ſenſualitatis et cum diſplicētia ratōnis: eſt veniale vel nullū etiā de re notabili. Interrogand̄ eſt ſcdm ſtatum de hmōi inuidia ſcilicet ſi platus alteri plato inuidet de maiori platione vel dignitate. Si eſt officialis: de maiori et dignōri officio. Si doctor de maiori ſcientia et cōcurſu. Si ſcolaris: de acutiori ingenio alterius ſcolaris: Si ciuis de maiori honore et reputatōne alterius. Si ſpūalis de maiori fama alterius. Si mulier de alterius marito: filijs: ornamētis: pulchritudine et hmōi. Si artifex de artificijs artis ſue et lucro et ſic de alijs. ¶ Si quis cū dolet de bono pximi ſui non ex eo ꝙ habeat ſed de defectu ſuo: quia ipſe illo caret: contentus tamen ꝙ proximus habeat non pertinet ad inuidiā. et ſimiliter ſi doleat de bono inimici ex hoc ſolum quia timet inde ſibi nocumētum: non pprie pertinet ad inuidiam.

¶ De odio et alijs filiabus inuidie. Et primo de odio. c. ij.

¶ Si habuit odium ad deū quia flagellauit eum vel impediuit mala deſideria eius vel alia de cauſa mortale eſt. Si habuit odium ad proximū deſiderans malū eius vt malū et ſi eſt malū notabile qđ illi appetit ratione deliberata: mortale eſt ſiue malum ſit in pſona vel fama vel ſubſtātia vel alio modo ſecus autē ſi non cōſenſit ratione vel ſcit quid non multū damnoſum ¶ Si vero deſiderauit malū alterius videlicȝ infirmitatem in bonum eius: vt ſcȝ bonus efficiatur vel ne peior vel ne alijs noceat: non eſt odium. Interrogandū et inueſtigandū eſt hoc caute. nam laici omnē diſplicentiā ſolent appellare odium: que tamē non eſt niſi modo dicto. Item odium contra vnum reputant tantū vnum peccatū. ¶ Sed nota ꝙ ſicut in alijs ſic in iſto. Quotiens reuocādo iniuriā menti de nouo habuit odium cum cōſenſu rōnis peccauit mortaliter. Inter rogandū eſt etiā de tempore ſcilicȝ quantum pſeuerauerit et quomō frequenter odiuit. Item ꝙ dimittat omne odiū ſed non oportet: immo non debet illi petere veniā quem odiuit ſi peccatū eſt occultum niſi cum verbis et alijs modis offendiſſet.

¶ De vſurpatione que eſt ponere diſſenſiones inter amicos ꝓpter malam intentionem. c. iij.

¶ Si queſiuit ponere diſcordiam inter amicos vel cōſanguineos dicens vni malum de altero vel econtra: vel referens ſtudioſe q̄ poſſunt cauſari hmōi. quia mortale eſt: et nurus erga ſocrum et ſocrus erga nurum ſolent his vacare. ¶ Si dixit aliqua verba vnde orta eſt diſcordia inter amicos vel conſanguineos ſed nec hoc intendens ſed incaute de ſe non eſt mortale: ſed poſſet eſſe ratione ſcandali. ¶ Si quis intendit diſſoluere malas amicitias vel cōuerſationem alicuiꝰ cum alijs ne decipiatur congruis remedijs non eſt malum.

¶ De exultatione in aduerſis. c. iiij.

¶ Si videns damna euenire et mala his quibus inuidet vel odium habet letatur deliberato animo de malo illorū mortale eſt. ſecus autem ſi nō deliberato animo. Letari autē de malo inimici non inquantū malū eius: ſed inquantū non poterit nocere vel alias iniuſte eum opprimere pōt eſſe ſine peccato.

¶ De triſtitia in proſperis.

¶ De triſtitia in proſperis que hoc modo differt ab inuidia: quia triſtatur de bono proximi et propter hoc cogitat quomō male habeat et deſiderat: ſed contingit ſepe q non patiť ille damna que ei appetit ſed magis proſperať: et de hoc triſtať: et eſt mortale vbi eſt conſenſus rationis.

¶ De ira que eſt quintū vicium capitale Titulus tercius. et habet duo capitula. Primum.

IRa eſt appetitus vindicte et viciū capitale et frequenter miſceť cum odio. ¶ Si propter aliquem defectū in ſe vel in altero commiſſum deſiderauit vindictā ſeu punitionē quōcunqȝ vel per ſe vel a deo vel ab alio intendens ſolum ſatiſfacere animo ſuo irato et eſt mortale quādo ſcȝ ſolum intēdit punitionē preter ordinem rationis ſi notabile malū eſt et cum conſenſu rationis. alias veniale vt ira quotidiana in gubernatiōe familie. ¶ Si iratus in ſeipſum propter aliquem defectū turbatur cōtra ſe veniale eſt cōmuniter. ¶ Si iratus contra deū propter aliqđ flagellum murmurat in corde vel ore impatiēter ferens: et poteſt eſſe mortale et veniale ſcđm modum impatientie.

¶ De indignatione et alijs filiabus ire. c. ij.

¶ Si indignat' contra aliquē non valens audire eum vel videre reputans eum indignū eo q ſibi diſplicuerit cū debuit ſeruire potius eſt veniale cōmuniter. et ſi propter hoc retinet ſibi loquelam vel aliud ſignū oſtendit diſplicētie: q̄ auferenda ſunt propter ſcandalum proximorū et opinionem odij.

¶ De timore mentis.

¶ Si excogitauit diuerſas vias et modos ad vindicandū ſe de iniuria et his implicauit mentē cogitatōibus altercatiuis ſcd̄m pceſſum poteſt eſſe mortale et veniale.

¶ De clamore.

¶ Si ex ira clamauit contra aliquē inordinate et confuſe et furioſe loquendo eſt veniale cōmuniter.

¶ De contumelia.

¶ Si dixit alteri verba contumelioſa vel iniurioſa vel importantia vicia vł obprobria animo iniuriādi notabiliter: vt vocando eum proditorem vel inhoneſtā perſonā: et dicēdo mala de parentibus et hmōi: mortale eſt. ¶ Si dixit verba obprobrioſa familie ſue vel diſcipulis vel ſibi ſubditis cauſa correctionis ſi ſit modo debito et honeſto: eſt ſine peccato vel cōiter eſt veniale niſi infamatoria diceret et ſequeretur ſcandalū magnum.

¶ De blaſphemia et maledictione creaturarū.

¶ Si blaſphemauit animo deliberato aliquē vt percuteret tali maledictione in malū eſſet mortale: niſi hoc affectaret in emendationem eius. Si vero hoc non deſiderauit ſcd̄m rationē: ſed ſcd̄m ſubitum motū ire eius: cuius ſignū eſt. quia ſi hoc contingeret valde doleret: ſicut fit a parētibus cōmuniter veniale eſt. ¶ Si maledixit creaturas irrationabiles. q̄ ſi fecit in deteſtationem creatoris vel in damnū domini eius eſt mortale: alias veniale ⁊ ocioſum. ¶ Si blaſphemauit animas defunctorum ſuorum parentū vel aliorum hominū videtur mortale. q̄ videtur intendere notabile malū: idem cum ſeipſum maledixerit ex impatiētia. ¶ Si blaſphemauit dyabolum malum eſt. quia ocioſum ſaltem.

¶ De maledictione dei et ſanctorū dictū eſt ſupra primo precepto.

¶ De rixa.

De rixa per quā ex ira ſe inuicem percutiunt. id eſt cum fit animo nocendi vel iniuriādi vt in adultis eſt morta

le in incipiẽte. Idem in ꝑſequente animo iudicatiuo. ſecus ſi animo defendendi ſe tantũ vel etiam ad exercitum pueri.

De ſeditione.

De ſeditione que eſt quãdo vna pars ciuitatis inſurgit contra aliam: ex parte eius que mouet eſt mortale cum omnibus ſequacibus eius et tenetur de omnibus damnis inde ſecutis alteri parti. Ex parte aũt eius que reſiſtit ſeditioni iniuſte mote contra ſe vel bonum ciuitatis nõ eſt ſecũdum ſe peccatũ: niſi miſceant odia et vindicatiões prout cõmuniter accidit. Quando et reſiſtẽtia alteri parti ſequerentur multa pericula et mala cedendũ eſſet: alias nõ euaderet multa peccata que in conflictu partiũ ſequerentur. Si quis etiã ita partialis eſt vt Guelphus et Gibellinus: ſeu aliter partialis ita obſtinato animo ꝙ appetit exterminiũ alterius partis ſeu exiliũ per fas et nephas parat⁹ etiã in aliĳs ſequi partem ſuã non eſt ſine mortali: et in malo ſtatu ꝑditionis.

De bello.

Si quis mouet bellum iniuſtũ mortaliter peccat: et omĩs qui dat auxiliũ conſilium et fauorem: ſimiliter peccat mortaliter. De damnis autẽ que ibi fiunt et de reſtitõibus: et quid ſit iuſtum vel iniuſtũ vide in tercia parte. De homicidio dictum eſt ſupra. ca. v.

De accidia que eſt tercium capitale vicium. Titul⁹ quartus. Et habet. v. ca. Primum. c. de eadem.

Accidia importat tedium bene operandi. Si ita contriſtatus et tediatus eſt ꝙ habuit in horrorem bona diuina et in abhominationẽ ſpiritualia et opa bona ad que tenetur: vt ꝑcepta dei et eccleſie et hmõi: quando adeſt conſenſus rationis eſt mortale. ſed ſi habet talẽ motum tantũ ſcdm ſenſualitatem cum diſplicentia rationis eſt veniale.

Si autẽ eſt contriſtatus de morte conſanguinei vel alio

caſu q̄ penitet eum benefeciſſe: vel ꝓponit amplius non bene/facere mortale eſt. ¶ Si ita cõtriſtatur ꝙ vellet nunq̄ fuiſſe creatus a deo ſeu non eſſe natus in mundo: vel eſſe ſicut bru: tum animal: vel mori quomõcunqȝ ſiue bene ſiue male diſpo/ſitus: dũmodo hinc exiret talis triſtitia cum conſenſu rationis eſt mortale. ¶ Si etiam ita contriſtatur de aliquo caſu ad/uerſo ꝙ incurrit grandem infirmitatẽ ꝓpter nimiam triſtitiã perdens ſomnũ: dimittens cibum et huiuſmodi videt̃ mortale quãdo poteſt ſe iuuare contra huiuſmodi. ¶ Si contriſta/tur ex cõſideratione bonoꝝ que habent alij quibus ipſe eſt pri/uatus: vilipendens omnia ſibi data a deo et inde ſumens te/dium bene operandi ſcđm conſenſum rationis illa accidia eſt cõmuniter veniale: et in perſonis ſpiritualibus reperitur.

¶ Si contriſtatur ex hoc ꝙ bona ꝓpoſita que fecit ſepe fran/git ex hoc incurrit tediũ bene operandi quaſi videat̃ non poſſe perficere accidia eſt in ſpiritualibus incipientibus deo ſeruire.

¶ Si ex frequentia temptationũ attediatur in laborando et reſiſtendo veniale eſt ſi tamen reſiſtat in incipientib' contingit ſepe. ¶ Si attediatur in bonis operibus vel bene operando: orando: audiendo predicationes: legendo lectões: aut dicendo officiuȝ et hmõi. non tamen dimittit de neceſſitate fienda com muniter eſt veniale: et ſatis etiã in ſpiritualibus reperitur.

¶ Si triſtatur de aliquo defectu magis ex eo ꝙ apparet de/fectuoſus corã hominibus q̄ coram deo accidia eſt et frequen ter veniale procedens ex ſuperbia.

¶ De filiabus accidie. c. ij.

De filiabus accidie in quib' eſt difficile cognoſcere quã do ibi ſit peccatũ mortale niſi cum miſcetur cum ali quo peccato. vt cum omittitur aliquod preceptũ: niſi deprimat ita mentem ꝙ tollat charitatem dei et proximi.

¶ De deſperatione.

¶ Si deſperauit de miſericoꝛdia dei exiſtimās non poſſe vel nō velle ei parcere: etiā reuertenti ad penitentiā: vel non poſſe abſtinere a peccatis cum adiutoꝛio dei: eſt moꝛtale ſcd̄m deliberationē et conſenſum. ſecus ſi ſcd̄m aliquem impulſum temptationis. ¶ Si deſperauit ſe nō poſſe euadere aliquas miſerias mūdi vel pericula ꝓpter que decreuit ſe occidere: eſt moꝛtale. et ſi aliquid fecit ad hoc multo magis.

¶ De malitia.

¶ Si contempſit diuina et ſpiritualia bona ex triſtitia aggrauante mentem mixta cum accidia moꝛtale eſt. ſi autē contempneret et refugeret ea per que poſſet vitare peccatū. q꞉ tunc pertinet ad blaſphemiā in ſpiritum ſanctū vt infra dicetur.

¶ De puſillanimitate.

¶ Si ſubſtraxit ſe ab illis bonis ad que erat apt⁹ timoꝛe deficiendi. vt a ieiunijs. ab ingreſſu religionis. a pꝛelatione iniuncta. ab officio pꝛedicationis et audientia confeſſionis iniuncte et hmōi eſt cōmuniter veniale: niſi eſſet p̄ceptum in eo qd̄ dimittitur.

¶ De rancoꝛe.

¶ Si habuit indiſplicentiā et tedium coꝛrigentes eum pꝛopter coꝛrectionē: eſt veniale. niſi illos odiret: et tunc odium eſt mixtum.

¶ De ocioſitate que pꝛocedit ex tedio.

¶ Si ſtetit ocioſus nihil boni operās coꝛpoꝛale vel ſpirituale vnde amittit tempus irrecuperabile videtur veniale niſi ex ocio addatur aliquod vitium qd̄ frequenter accidit: et quanto tempoꝛe ſtetit ocioſus.

¶ De toꝛpoꝛe ſeu pigritia bene operandi.

¶ Si fuit tardus ad bene operādum licet illud fecerit: tardus ad eccleſiā ad oꝛandum: ad elemoſinas dādum et hmōi. communiter eſt veniale: niſi ex tarditate omitteretur pꝛecep-

tuȝ. vt quia cito non ſubuenit patienti extremam neceſſitatem cum tenetur: vt infirmo vnde ſequit̃ mors et huiuſmodi: tunc eſt mortale.

¶. De euagatione mentis.

¶ Si habuit diſtractionem mentis in oratione et fuit in ea: vel cum voluntate euagatur vel audiendo predicationẽ et diuina mente cogitauit vana et inutilia: eſt cõmuniter veniale: niſi addatur aliqđ ſpeciale peccatũ: vel per totum officium ad quod obligatur ex p̃cepto: vel audit noua: vel ſi loquit̃ inutilia: vel ex tedio mutat loca hincinde. vel diſtrahit ſenſus et mẽbra diuerſimode eſt veniale cõmuniter.

¶ De negligentia ſeu tepeditate. c. iiij.

Ue eſt remiſſio volũtatis circa que debet facere. In hac quotidie oẽs offendunt: ſed venialiter niſi omittatur aliquid neceſſariuȝ. ¶ Si fuit negligens circa opera miſericordie ſpũalia que hoc verſu continent̃. Conſule. caſtiga. dimitte. ſolare. fer. ora. ¶ Nota φ ſub conſule compꝛehenditur doctrina ⁊ docere ignorantẽ precipue ad ſalutẽ vtilia ¶ Si fuit negligẽs ad diſcendũ neceſſaria ad ſalutem: vt precepta dei et eccleſie generalia: quia hmõi ignorantia nõ excuſat. vel ad eundum ad p̃dicationem eſt vtile: et iniũgere ydiotis vt p̃dicationes aliquas audiant. ¶ Si fuit negligens ad procurandum ibi ſacramenta et ſue familie: et ſi ex negligentia et dilatione mortua eſt proles ſine baptiſmo: eſt mortale. ¶ Si infirmus mortuus eſt ſine confeſſione et cõmunione vel extrema vnctione: cum ex negligentia craſſa p̃cedit: videtur mortale vel graue veniale ſcđm φ plus indigebat. ¶ Si fuit negligens ad p̃curandum ſacramẽtum confirmationis. ¶ Si iterum feciſſet dare ſacramẽta baptiſmi: confirmationis: vel ordinẽ ſacrum ſcienter mortale eſt: et contrahitur irregularitas in ſuſcipiente. ¶ Si fuit negligens ad fraternã correctionẽ cum tene-

tur: ita videlicet de occulto peccato et mortali et inde ſperabat emendationē illius: tunc eſſet mortale dimittendo omnino illā veniale vero retardando: vel de his que non ſunt mortalia.

¶ Si non ſeruauit ordinem debitum in fraterna correctione: vel nimis aſpere: vel tempore: vel loco indebito peccatum eſt.

¶ De negligentia confeſſionis. c. iiij.

¶ Si omiſit ad minus ſemel in anno confiteri vel ex negligentia, vel ignorātia: mortaliter peccauit. ſecus ſi ex impotentia: videlicet quia non habꝫ copiam confeſſoris. ſed ſi poſtea cum habet copiam confeſſoris non suppleuit defectum: mortale eſt.

¶ Si fecit confeſſionē fictam ſcienter dimittens aliquod mortale: vel quod dubitabat vel credebat eſſe mortale etiam ſi non eſſet mortale: mortaliter peccat: et tenetur iterare cōfeſſionem.

¶ Si dicit ſe eſſe contritum de omnibus peccatis et diſpoſitum ad abſtinendum et ſatiſfaciendum cum non intenderet: mortaliter peccauit: et tenetur iterare confeſſionem.

¶ Si penitentiam ſibi iniunctam pro mortalibus ex negligentia omiſit facere: peccauit mortaliter. et tenetͤ iterare confeſſionem ſi eſt illius oblitus penitētie. ¶ Si ſcienter confeſſus eſt ei quem ſciuit excōmunicatum vel ſuſpenſum: vel non habentē auctoritatem: puta quia ſymoniace accepit beneficiū. vel quia intruſus eſt per laicam poteſtatē: peccauit mortaliter: et tenetur iterare confeſſionem. ¶ Si confeſſus eſt in excōmunicatione maiori exiſtens quā neſciuit ipſe nec confeſſor eius: abſolutus tamen fuit a peccatis oportet iterum confiteri: quia non fuit capax abſolutionis tunc ꝓpter excommunicationem.

¶ Si confeſſus eſt ei qui non habet ſufficientē ſcientiam peccat: et ſi fuit adeo ignorans ꝙ neſciuit diſcernere peccata eius: precipue cōmunia: tenetur iterare confeſſionem.

¶ De negligentia circa communionem. c. v.

¶ Si omiſit cōmunicare ſemel in anno, ſcilicet in paſcha: re-

ſurrectionis poſt annos diſcretionis peccauit mortalr: niſi fuiſſet legitime impeditus: vt quia alteratus ſtomacho: vel excommunicatus querens tamen abſolutionem: vel de licentia ꝓprii confeſſoris per aliquos dies differret: et in huiuſmodi caſibus debet ſupplere defectũ quando poteſt. ¶ Si non cõmunicauit ieiuniis: ita ſcilicet ꝙ poſt mediam noctem aliquid ſumpſit per modum cibi vel potus: peccauit mortaliter niſi eſſet grauiter infirmus: quia tunc licet. ¶ Si cõmunionem ſumpſit cum ſtaret cum ꝓpoſito alicuiꝰ peccati mortalis: vel cum eſſet excõmunicatus hoc ſciens vel ignorans ignorantia craſſa: peccauit mortaliter. ¶ Si non confeſſus de aliquo mortali peccato commiſſo vel aduertenter ex verecundia: vel inaduertenter ꝓpter indiſcuſſionem conſcientie: vel ex ignorantia craſſa et ſupina ſumpſit cõmunionem peccauit mortaliter.

¶ Et nota ꝙ ſi quis obmittit confeſſionem vel cõmunionem in tempore ſtatuto: conari debet confeſſor vt inducat eum ad ſupplendum defectum niſi ſit omnino non bene diſpoſitus.

¶ Item cum reperit aliquam delictum viciis turpibus et aliis vſqꝫ ad finem quadrageſime cautũ videtur ne ſubito admittat ad cõmunionem: ſed ꝓlonget ſibi tempus per aliquas ebdomadas. De aliis vero defectibus qui cõmittuntur circa cõmunionem et miſſaꝫ. vide in. iii. parte de clericis. ¶ Si exiſtens excõmunicatus maiori ſcienter participauit audiẽdo diuina in eccleſiis aut ſacramẽta ꝑcipiendo peccauit mortaliter. ¶ Si participauit in crimĩe cum aliquo ꝓpter quod ille cum quo participauit erat excõicatus: videlicet qꝛ verberauit clericum. vt. c. ſi concubine. de ſen. excom. vel ſi aliquis cleric' ſubiit ſe alicui laico verberãdum ad placandum eum de iniuria ſibi illata: clericus ille efficitur excõmunicatus. quia participauit in crimine cum verberante: ꝓpter quod eſt excõmunicatus et mortale eſt. vt. c. contingit. de ſen. excom.

¶ Si exiſtēs excōicatus maiori ſciēter pticipauit cū alijs fideli bus etiā extra diuina: pcipue in his q̄ continent̄ in hoc verſu. Os orare vale cōmunio menſa negat̄. Et ſi fecit ex contemptu contra phibitionē ſuoꝝ ſuperboꝝ peccauit mortaliter. alias venialiter et efficit̄ excōicatus minori: a qua pōt abſoluere om nis qui habet eū audire in cōfeſſione. Excipiunt̄ tamē quinq̄ caſus in quibꝰ licet participare cum excōicatis: qui continent̄ in hoc verſu. Utile lex humile res ignorata neceſſe. Hec anathe ma quidē faciunt ne poſſit obeſſe. quos vide in. iiij. parte ſum.

¶ Quintus titulꝰ de inani gloria. Et habet. iij. ca. Primū.

De inani gloria que eſt quintū viciūm capitale impor tans inordinatū appetitū laudis humane ſeu inordi natum complacentiā eius cui effert̄: et cum ſit aliqđ opus principaliter pter laudē ppriam amittit eius merces et peccatū incurrit. et interrogandū eſt ſcđm ſtatum hominū de diuerſis materijs in quibꝰ homines querūt ſibi laudē: videlicꝫ a doctore de ſcientia et doctrina. a ſcolari de ingenio et diſputa tione. a rectore de regimine. a mulieribus de ornatu et hmōi.

¶ Si queſiuit laudem et gloriā de opere peccati mortalis: mortaliter peccauit ſi ſcđm ratōnem deliberatā hoc egit. ſecus ſi ſecūdum modū ſenſualitatis: vel etiā ſi de aliquo veniali glo riatur. ¶ Si opa ſua de genere bonoꝝ vt ieiunia elemoſyne et hmōi quaſi omnia ad laudem humanā fecit mortale videt̄ cum ibi cſtituit finem: ſecus ſi aliquid boꝝ aliquādo. ¶ Si ita inordinate accepit laudē de aliquo opere q̄ pter eam con ſequendā paratus erat facere contra aliqđ preceptoꝝ: peccauit mortaliter. In alijs autē caſibus videtur veniale.

¶ De immodeſtia ornatus. c. ij.

De immodeſtia ornatus qui pcedit frequēter ex ina ni gloria licet etiam ex alijs cauſis poſſit pcedere: et precipue iuuenes mulieres de hoc interrogāde ſunt.

ſcilicet de ornatu capilloꝝ: fucorum: gemmarū: veſtium ꝓcio ſarum et foderaturis et caudis earū et planelis nimis altis et coronis capitis et hm̄oi in quibus aliquādo eſt mortale aliqñ veniale. ¶ Si vſus vel vſa eſt fucis vel aliis ornamentis ad oſtentationē et inanem gloriā: ſi de hm̄oi ſupbiuit vl' gloriata eſt: mortale eſt ſi tantā delectationē habuit ad laudē et gloriā illam ꝙ non curauit trāſgredi mādata dei et eccleſie. ¶ Si vſus vel vſa eſt fucis et aliis ornamētis ad inducendū homines ad ſui concupiſcentiā extra matrimoniū mortale eſt indubitatuꝫ. Si ita inordinate delectať in hm̄oi ita ꝙ etiā ſi ſciret homies ex ſui ornatu ſcādalizari, ideſt trahi ad ſui concupiſcētiam non curās de ruina ꝓximi mortale eſt. ¶ Si ad concupiſcendum viro ſuo vel ad inueniendū virū ſi eſt innupta: vel ne deſpiciať ab aliis ex aliqua leuitate vſa eſt fucis vel aliis ornamentis ſupfluis de ſe nō eſt peccatū mortale ſed potius veniale: niſi hic ſit notabilis exceſſus in hm̄oi vt poſſit iudicari de occaſione alioꝝ data ruine et non tantū accepta qđ eſt difficile iudicare. ¶ Si habuit nimiā diligentiā et ſtudiū et tempus ad ornandū ſe: vel fecit exceſſum in portatura veſtiū vltra ſtatum ſuū vel conditōnem vel non ſcđm morem patrie: vel veſtibus nimis delicatis peccatū eſt.

¶ Ca. iiij. de filiabus inanis glorie. Et primo de ypocriſi.

¶ Si ſimulauit ſanctitatē habere p ieiuniū: orōnem et huiuſmodi cum malus eſſet: ſi hoc egit ad conſequendā laudeꝫ humanā conſtituens ibi finem mortale eſt: alias veniale niſi aliud viciū adiungať. Si ſimulat ſanctitatē per ypocriſim intendens aliquid qđ ſit contra honorē dei vel vtilitatē proximi. vt ſeminare errores: adipiſci indignus eccleſiaſticā dignitatē. decipe enim proximū tpaliter vel ſpūaliter mortale eſt. ¶ Si ſimulauit ſanctitatē exiſtens malus vt dent ei elemoſyne ſicut ſancto viro: vel ꝓcuratōes eccleſiaꝝ vt cerretani et ſimilia mor

taliter peccauit ¶ Si ſimulauit maiorē ſanctitatē q̄ꝫ habuit vel occultauit ſuū defectum ad edificationē proximoꝝ: non eſt peccatū vel leue veniale eſt. aut ſi hoc facit ob aliquā vanitatem vel inanem gloriā eſt veniale.

¶ De iactantia.

¶ Si laudauit ſeipm̄ de aliquo opere peccati mortalis mortaliter peccauit. Si aūt de opere venialis: venialiter peccauit quātum eſt de ſe. ¶ Si laudauit ſe de aliquo ope bono: videlicet de virtute: de ſcientia: de induſtria: vel diuitijs vel potētijs et hmōi ex ſuperbia et inani gloria: mortale eſt vel veniale ſecundū radicem ipſius ſupbie vel inanis glorie vnde procedit.

¶ Si laudauit ſe contemnendo alios: vt phariſeus publicanum mortale eſt. Si autem ex aliqua leuitate vel vtilitate conſequenda: veniale vel nullum eſt.

¶ De yronia.

¶ Si vilificauit ſe verbis vel factis pluſquā ſentiat in ſeipſo in mente dicens aliqua mala de ſe que in ſe non cognoſcit: veniale eſt et dicitur yronia.

¶ De contentione.

¶ Si quis cōtendit aduerſus alium contra veritatē ſcienter in rebus alicuius importātie: mortale eſt. ſecus in rebus paruis et inaduertēter. ¶ Si contendit pro veritate: ſed nimis inordinate cōmuniter eſt veniale: ſed poſſet ibi eſſe tanta inordinatio q̄ꝫ rōne ſcandali ſequentis eſſet ibi mortale.

¶ De diſcordia.

¶ Si hn̄s tractare aliqua cum alijs in cōmuni nolit concordari cū alijs de his que ordinātur ad honorē dei vel proximoꝝ vtilitatē exeo q̄ꝫ male afficit̄ ad eos vel vt oſtendat ſe plus ſcire q̄ꝫ alij: mortale eſt. ſecus aūt ſi non cōcordat videlicet quia ſibi videtur eſſe magis ſcd̄m deum et rōnem quod ipſe intendit. qꝛ tunc non eſt peccatū vel leue: niſi ſit nimus ꝑtinax.

¶ De pertinatia.

¶ Si fuit pertinax in ſententiis ſuis diſcrepans a communi ceteroꝝ conſilio vel iudicio: cōmuniter eſt veniale piculoſum et inductiuū erroris.

¶ De ſingularitate nouitatū.

¶ Si fecit ſingularitates vel nouitates in conuerſatione vite vel veſtibus vl' cerimoniis vel aliis adinuētionibus: pctm̄ eſt et ſi adinuenit aliquā malaꝫ ꝯſuetudinē omnia ei imputanē.

¶ De inobedientia.

¶ Si non obediuit ſuperioribus ſuis ſpūalibus vel temporalibus legibus canonicis vel ciuilibus rōnabilibus: et ſi quideꝫ tranſgreditur ſuperioꝝ ordinationes habentes vim precepti: vt quando mandatē ſeruari verbo vel ſcripto in virtute ſancte obedientie vel ſub pena excōmunicationis vel carceris vel aliis penis grauibus et huiuſmodi equipollentiis: peccauit mortaliter. ¶ In aliis vero ordinationibus ſimpliciter factis tranſgrediendo eſt veniale: niſi fiat ex contemptu. quia tunc mortale quantumcunqꝫ leuibus.

¶ De gula titulus ſextus. Et habet tria capitula. Primū.

Gula eſt ſextum capitale viciū et importat inordinatum appetitum ſeu delectationē circa cibum et potū. Nota quinqꝫ ſpecies ſeu modos qui continentur in hoc verſu. Pre. proprie. laute. nimis. ardente. ſtudioſe.

¶ Si comedit vel bibit extra horam debitam ſine rationabili cauſa et vrgēte. ¶ Si eſt vſus cibis vel potibus lautis nimis et delicatis vltra conditionē ſui ſtatus: aliter enim decet comedere infirmum ꝙ ſanum: ciuem ꝙ ruſticum.

¶ Si comedit vel bibit in nimia quantitate ſcd̄m exigentiam ſue complexionis: quod enim vni parum eſt nimiū eſt alteri. Et plus comedere in die ieiunii ꝙ altera die non eſt de ſe malum pro vna comeſtione.

❡ Si comedit vel bibit cum nimio ardore gule ſeu cum ni
mia cõplacentia contentus magis ſatiſſacere delectatõni gule
ꝙ neceſſitati ꝓuidere. ❡ Si adhibuit vł adhibere fecit nimiã
ſtudium et diligentiã circa cibaria delicata preparãda vt cum
variis ſaporibus ⁊ diuerſis modis et hmõi. In his omnibus
ſpẽbus et modis gule tunc eſt mortale quãdo delectatio gule
querit vt finis: paratus facere contra ꝑcepta vt ſatiſfaciat dele
ctationi gule. vel cum comedit vſq; ad crapulã vel vomitũ ad
uertenter: ſicut fit a pleriſq; in carniſpriuio: vel vtitur aliquo
cibo ex quo veriſimiliter credit incurrere magnã leſionẽ pſone.
❡ In aliis vero caſibus cõmuniter eſt veniale. ❡ Si comedit
carnes in quadrageſima vel in aliis ieiuniis eccleſie vel in ſex
ta feria: aut in ſabbato p totum annũ niſi vrgente cauſa neceſ
ſitatis vel infirmitatis: peccauit mortaliter ſi ſine ↄſilio medici
❡ Si vſus eſt lacticiniis tempore q̃drageſime ſine cauſa in
firmitatis et de cõſilio medici: peccauit mortalr. In aliis vero
ieiuniis eccleſie ſeruari põt mos patrie quãtum ad vſum lacti
ciniorum: qui mos ſi non apparet tutius eſt abſtinere.

❡ De ebrietate.

❡ Si bibit vſq; ad ebrietatem aduertens ſe nimis bibere vel
potentiã vini ſufficientẽ ad inebriandũ: vel de hoc dubitãs pro
babiliter peccauit mortaliter: ſecus ſi ignorauit potentiã vini:
vt Noe. ❡ Si fuit cauſa inebriatõis alterius aduertẽter indu
cendo ad nimiũ potum: vel ponẽdo ſal in vinum et hmõi: mor
taliter peccauit. ſec⁹ ſi fecit cauſa medicine. ❡ Si induxit ali
quem ad frangendũ ieiuniuz eccleſie ſine cauſa legitima ſuis
perſuaſionibus peccauit mortaliter. ❡ Si induxit pueros et
iuuenes ad lambaditates ⁊ tabernas et hmõi: vt peruertat ad
turpia. ❡ Si frequentauit tabernã ſine cauſa ratõnabili vel
conuiuia diſſoluta peccatũ eſt.

❡ De inſenſibilitate.

¶ Si abſtinuit ſe nimis a cibo et potu et aliis neceſſariis vſ/te ꝓpter quod incurrit infirmitatē: cōmuniter eſt veniale niſi ſi/at notabilis exceſſus et addat̄ obſtinatio contra admonitiōes ex huiuſmodi defectu. quia tunc videtur mortale ratione peri/culi inde ſequentis.

¶ De filiabus gule. Et primo de ebetudine. c. iii.

¶ Si ex fumoſitatibus inordinate comeſtis et potus incur/rit ſcurrilitatē ſeu groſſitiē intellectus et ex hoc ineptitudinē in/tellectus: vel ineptitudinē legendi orandiqꝫ eſt veniale cōiter.

¶ De loquacitate.

¶ Si nimis locutus eſt ſeu dixit verba ocioſa et ſine neceſſi/tate et rationabilitate: cōmuniter eſt veniale.

¶ De ſcurrilitate.

¶ Si fecit actus ſeu geſtus inordinatos: et ſi ſint ꝓuocan/tes ad libidinē extra matrimoniū eſt mortale. ſi vero ad diſſo/lutionem vel leuitatē vt ventoſitatem et hmōi: veniale eſt.

¶ De inepta letitia.

¶ Si habuit ineptam letitiā et vanam in ludis ⁊ iocis: com/muniter veniale eſt: niſi addatur aliquod vicium.

¶ De choreis.

Choree que fiunt cum inordinata letitia ſunt morta/lia quinqꝫ modis. ¶ Primo cum fiunt ex libidine. ¶ Secūdo cum fiunt in eccleſiis: quia ſacrilegiū eſt. ¶ Tercio cum fiunt a clericis et religioſis cum mulieribus ra/tione ſcandali. ¶ Quarto cum fiunt ex inani gloria vel vana letitia tam inordinata ꝙ ibi conſtituat̄ finis. ¶ Quinto cum tales chorizātes non curāt de ſcandalo ꝓximi: eſt mortale. ¶ In aliis autē caſibus cōmuniter eſt veniale. Poſſet tamē quan/doqꝫ eſſe mortale: nec de facili de hmōi poteſt dari iudicium

¶ De immunditia.

De immunditia que pōt intelligi cum quis immūde

comedit et eſt veniale p̄cipue ſi ex hoc cõturbat alios vel quia
vomitũ facit:et ſi hoc facit quia nimiũ comedit:vel quia aui-
dius comedit peccatũ eſt.ſecus ſi cauſa medicine.vel põt intel
ligi de immũditia pollutionis que cũ accidit in ſomnis nõ im
putatur ad peccatũ:ſed peccatũ poteſt eſſe in cauſa eius:ſcꝫ ſi
ꝓceſſit ex crapula vel turpi cogitatione p̄cedenti vl' ex negligen
tia:vel etiã poſt vigiliam recolens de ipſa īmunditia habita in
ſomnis turpibus delectat̃ et ſi eſt conſenſus rationis de hm̄oi
turpi delectatione mortale eſt vel veniale: vel nullũ ſi ex alle-
uiatione nature. ¶ De immunditia ſeu pollutione ꝓcurata
nota ꝙ ſi quis agit hac intentõe principaliter vt pollutionẽ ha
beat:ſiue vigilando ſiue dormiendo peccat mortaliter:etiã ſi fa
cit cauſa ſanitatis. Si aũt ipſa pollutio etiã contingat in vigi-
lia preter voluntatẽ et ſine ꝓcuratione non eſt mortale.

## ¶ De luxuria Titulus.vij.et habet duo.ca. Primũ.

LUxuria eſt ſeptimũ capitale viciuꝫ: ſed quia ſupra in
p̄ceptis dictuꝫ eſt ſatis de ſpẽbus eius in opere ac etiã
in cogitatione omni:illis obmiſſis videndũ eſt de qui-
buſdam alijs ꝑtinentibus ad ipſam luxuriã et delectationem
moroſam. Et primo ſi tetigit aliquẽ vel aliquã vel oſculat' eſt
libidinoſe extra coniugiũ mortaliter peccauit:etiã ſi non ſequit̃
turpis actus. nã talia exercitia in ope ipſo pro vno peccato ha-
bentur cum ope ipſo:ſed tanto graui' quanto in hm̄oi concur
runt plura:ſi autẽ fiant diuerſis t̄pibus diuerſa ſunt peccata.
¶ Si ſcripſit litteras vel portauit vel miſit vel recepit continen
tes amatoria et ꝓuocantia ad laſciuiã aduertenter mortaliter
peccauit. ¶ Si fecit cantatiões vel cantauit vel legit vel audi
uit verba laſciuie:vel turpia delectabiliter ad ꝓuocandũ ſe vel
alios ad laſciuiã mortale eſt. ¶ Si aſſociauit aliquẽ quẽ ſci
uit ire ad ꝑcandum vel turpiter agendũ vel ad faciendũ ſerẽ-

natas vel matutinas peccauit mortaliter. ¶ Si fuit mediator inter aliquos ad huiuſmodi turpia: vel poſuit aliquos mediatores inter ſe et inter alios et hmōi: peccuit mortaliter. Itē ſi recepit enſenniū ve donū quodcunqꝫ vel miſit ex amore libi. ¶ De delectatione moroſa. ¶ Otiis.

De delectatione moroſa qđ vicium repitur in tepidis et multū negligentibus. nam feruidi ſubito cogitationes expellunt noxias: et frigidi deſiderijs opis acquieſcunt. ¶ Si habuit cogitationes immūdas et carnales in quibus trahit moram poſtq̄ ratione ꝑpendit ꝓpter delectationem ipſam cogitandi hmōi peccauit mortaliter. Non ſolum quando quis cogitationibus luxurie ratione conſenſit deliberans facere maluꝫ ſi adeſſet cōmoditas: ſed etiā nolendo opus perpetrare: ſed non curando ipſas cogitationes libidinoſas expellere poſtq̄ perpendit: ſed in eis voluntarie immorādo peccauit mortaliter.

¶ De filiabus luxurie.

¶ De filiabus luxurie de quibus non oportet multū interrogare. quia difficile eſt intelligere niſi cum mixtura alioꝝ viciorum. Et prima eſt cecitas mentis.

¶ De cecitate mentis.

¶ Si fuit in mente occupatus circa mundana et carnalia q̄ neſciuit de deo cogitare vel de rebus ſpūalibus.

¶ De precipitatione.

¶ Si fuit preceps et ſubitus in operibus ſuis ſine cōſilio et examinatione mentis debita agens.

¶ De inconſideratione.

¶ Si fuit incautus in factis ſuis non bene iudicans circa occurrentia.

¶ De inconſtantia

¶ Si in eo q̄ deliberauit boni agere fuit inconſtans et mutabilis ex paſſione.

¶ De amore ſui.

¶ Si habuit deum vel legem eius in diſplicentiã quia ꝓhibet concupiſcentiã et huiuſmodi.

¶ De amore vite preſentis.

¶ Si nimis amauit vitam iſtã preſentem ꝓpter voluptates carnis quib⁹ eſt deditus. ita amare vitam pñtem ꝙ aliquis vellet hic ꝑpetuari ſcd̃m Pe. eſt mortale.

¶ De horrore futuri ſeculi.

¶ Si horrorem habuit ad vitam futurã. De aliis vero que ꝑtinent ad viciũ luxurie circa coniugiũ. vide infra de ꝯiugatis

¶ De ſupbia Titulus octauus. et habet. ca. duo. Primũ.

Superbia ſcd̃m Grego. eſt regina omniũ capitaliuꝫ viciorꝫ. et eſt vicium multũ ſubtile et difficile ad cognoſcenduꝫ: et conſiſtit in appetitu inordinato ꝓprie excellentie. Et habet quattuor ſpecies ſiue modos de quib⁹ potes interrogare ꝓut videbis ſi tamẽ penitens intelligat. Si bona naturalia ſpũalia vel temporalia q̃ habuit ſibi attribuit et a deo non recognouit. ¶ Si bona ipſa a deo recognoſcẽs meritis ſuis principaliter ſe accepiſſe eſtimauit: videlicet ꝓpter ſua ieiunia: orõnes et hmõi. ¶ Si ea bona q̃ non habuit ſibi attribuit vel plus ꝙ habuit: cum exiſtimat ſe habere multuꝫ humilitatis: caritatis: patientie et hmõi cum non habet.

¶ Si reputauit ſe meliorem eſſe ceteris alios contemnens: in quolibet horum modorꝫ poteſt eſſe mortale vel veniale ſcd̃m ꝙ ratione conſentitur vel non.

¶ De filiabus ſupbie. c. ij. Et primo de deriſione.

De deriſione q̃ aliquãdo ꝓcedit ex ſupbia. ¶ Si irriſit ſacramenta et alia diuina vilipendẽs ea vt ſanctos viros aut ꝑlatos aut deo ſeruire volentes vt ſic retrahat eos peccauit mortaliter. ¶ Si irriſit intendẽs ex hoc iniuriam et viliſicationẽ vel notabilẽ ꝑturbationeꝫ eius mortaliter

peccauit: ſed ſi ex leuitate vel cauſa ioci ſecus.

¶ De ambitione.

De ambitione q̄ procedit ex ſupbia et importat inordinatum appetitū honoris: et multuʒ reperitur in prelatis et dominis. ¶ Si deſiderauit aliquā dignitatē vel beneficiū curatū ratione deliberata principaliter ꝓpter honorem vel dignitatē vel vtilitateʒ temporalē peccauit mortaliter. ¶ Si deſiderauit dignitatē vel beneficiū eccleſiaſticū vel ſeculare ad q̄d eſt indignus vel ineptus: videlicet q: criminoſus et hmōi peccauit mortaliter. ¶ Si deſiderauit vel queſiuit ad hmōi ꝓuenire etiam faciēdo contra p̄cepta mortale eſt. ¶ Si queſiuit honorē de quacunqʒ re ita inordinate ꝙ ibi conſtituat finem mortale eſt. In alijs vero caſibus videt̄ veniale.

¶ De preſumptione.

Preſumptio que ꝓcedit ex ſuperbia conſiſtit in hoc ꝙ homo ponit ſe ad ea q̄ ſunt ſupra vires ſuas vel nō ꝑtinent ad conditionē ſuam. vt ſecularis ad iudicandum clericos vel eos qui nō ſunt ſibi ſubiecti: vl̄ de hijs de quibus nō habet poteſtatē peccauit mortaliter. ¶ Si poſuit ſe ad faciendū ea exercitia ad que non erat aptus: vnde pōt ſequi ſpūale vel temporale damnū alteri: vt medicus ignar⁹ medicine: vel aduocat⁹ ignarus ad aduocandū: iudex ad iudicandū: confeſſor ad audiendū confeſſiones et hmōi: peccauit mortaliter ſecus autē ſi competenter in arte illa peritus erat. ¶ Si preſumens de virtute ſua expoſuit ſe ꝑiculis peccatoꝝ: vt vadēs ad loca inhoneſta: vel frequētans ꝯuerſationē mulieruʒ leuiū et hmōi: vbi de facili pōt labi in mortali peccato: mortale videt̄ ¶ Si nimis de ſe p̄ſumens non ꝓuidet de neceſſitatibus vel ꝑiculis occurrētibus ſpūalibus vel tp̄alibus expectans effectū miraculoſū ſcʒ vt eum ſanet infirmū ſine medico et medicis vel aminiſtret ei cibū ſine labore: eſt mortale et dicit̄ temptare deū

¶ De temeraria iudicatione.

¶ Si facta alterius que dubia ſunt quo animo fiant in malam partē interp̄tatꝰ eſt ſeu iudicauit et ſine ſignis ſufficientibus indicantibus maliciā alteriꝰ deliberare iudicauit aliquē de peccato mortali: mortaliter peccauit. Si vero iudicauit de veniali venialiter peccauit. Idē ſi iudicauit de mortali: ſe non deliberato animo.

¶ De curioſitate.

¶ Si fuit curioſus circa cognitionē intellectiuā: vt querendo ſcire q̄ ſunt ſupra capacitatē ſuam: videlicȝ de trinitate. de predeſtinatione. vel querēdo ſcire a quibus non debet: vt a demoniis: vel ꝑ ſortes: vel querēdo ſcire parū vtilia et dimittēdo magis neceſſaria: vel querēdo ſcire ſolum ad ſciendū et non ad deū cognoſcendū: vel ad aliquā vtilitatē peccatū eſt quādoqȝ mortale quandoqȝ veniale. ¶ Si fuit curioſus circa vſus ſenſuū ſcȝ oculis aſpiciēdo: auribus audiēdo: naribus ad odorandū: guſtu ad guſtandū: tactu ad tangendū ſine neceſſitate vel vtilitate ſed ſolū delectatione ſenſuali: peccatū eſt cōiter veniale et quandoqȝ pōt mortale. ¶ Si repit ſe in ſpectaculis ad videndum vt torneamēta paleſtra currere ad brauiū et hmōi. nam ſi in hoc ſit periculū mortis ſpūalis vel tꝑalis: vt quādo ſunt ſpectacula rep̄ſentatiua turpitudinū: vel cum recipet notabilē leſionē corꝑis eſt mortale. et multomagis in exercente et p̄bente occaſionē in hmōi ſpectaculis. alias eſt veniale niſi ꝓpter hoc ita aliquis delectatꝰ ꝙ mens eius auerteret a deo: ita videlicet ꝙ paratus eſſet trāſgredi mandata dei et eccleſie vt illa aſpiceret vel faceret. et hoc idem intelligo de quocūqȝ peccato qđ de ſe eſt veniale: qꝛ per hunc modū poteſt effici mortale.

¶ De ingratitudine.

Ingratitudo repitur in omni peccato mortali: ſed vt circūſtantia aggrauās ipſum. qꝛ vbi homo debet ſꝑ ſeruire deo eū offen

dit. Eſt etiã vnum ſpeciale peccatũ inquantũ ſcȝ recipiens beneficia a deo vel ab homīe ea nõ recognoſcit recogitat et regratiať et recompenſat: vel qȯ peius eſt vilipēdit benefitia recepta vel murmurat de eis: vel iniuriať benefactori. cõiter auteȝ repitur mixtũ cum aliquo genere peccati qñ mortale qñ veníale eſt.

¶ De ſcandalo.

¶ De amore parentum.

¶ Si nimis carnaliter dilexit cõſanguineos: nimis affectans
eorum ꝓſperitatem vel gaudens de ea aut cõtriſtatur nimis

de aduerſitate. ¶ Si nimis eos viſitat vel querit vel gaudet viſitari. ¶ Si cum eis loquit de ſecularibus que non expediūt vel etiã cum aliis de guerris et hmōi frequenter interrogat et audit. ¶ Si p eis procurat bñfitia eccleſiaſtica vel tempali a non aptis beneficiis in quibus poſſet eſſe mortale. ¶ De aliis vero viciis cōmunibus ſcz. ira ſupbia. inuidia et hmōi vide ſupra in prima pte. De his vero q̄ pertinent ad regulam ſuã ipſemet videat p ſe et dicat. ¶ Si penas aut penitētias taxatas vel iniunctas a regula vel conſtōibus vel a prelato non fecit: peccauit ſi ex negligētia. Si nullo mō eſſet paratus facere etiã prelato pcipiente: eſt mortale. ¶ Si nō intendit pficere in vita ſed q̄ ſeruat inuitus facit et male cōtentus eſt eſſe in religione ypocrita eſt ⁊ in ſtatu damnatōis. Tho. Qui vocant ad dirigendas moniales in electionib' niſi abſtineat ab his per q̄ poſſet oriri diſcordia inter eas ſunt excōicati. ¶ Religioſi et clerici inducentes ad vouendū iurandū vel promittendū de eligendo apud eos ſepulturã vel vt eam vlteri' non mutēt iam electam ſunt excōicati excōicatione papali. cle. cupiētes. de penis. ¶ Religioſi qui abſq; ſpeciali licentia proprii ſacerdotis ſolēnizarent matrimoniū aut miniſtrarēt ſacramentū eucbariſtie vel extreme vnctōis ſunt excōicati excōicatione papali. cle. pma. de priui. reli. ¶ Religioſi qui excōicatos a canone abſoluūt in caſib' non cōceſſis: aut qui abſoluūt a ſententia p ſtatuta ſynodalia vel prouincialia pmulgatis: aut abſoluūt a pena et a culpa ſunt excōicati excōicatione papali. p. d. cle. primã. de priuil. reli. ¶ Inquiſitores heretico᷑ qui odio gratia vel lucro contra iuſtitiã et conſcientiã obmiſerit contra quempiã pcedere: vel ipſam hereſim aliis iponere: aut imponerēt ꝙ officiū eo᷑ impedirent ſunt excōicati excōicatione papali. cle. multo᷑. de here. ¶ Religioſi mendicātes profeſſi tranſeūtes ad aliquã religionē monachalē excepto ordine cartuſieñ. et ſimiliter recipiētes ſunt excōicati ex-

cōmunicatione papali p constōnem Martini quinti factā Constantie. ¶ Clerici scienter et sponte excōicantes excōmunicatione a papa in diuinis sunt excōicati excōicatione papali. secundū Hosti. ista excōmunicatio habet dubiū. ¶ Participātes in crimine ꝓpter quod aliquis est excōicatus aliqua predictarum et aliarū excōicationum sunt excōicati per papā. c. si concubine. de sen. excom. ¶ Absoluentes aliquē ab aliqua p̄dictarum excommunicationū citra sedē apostolicā preterq̄ in mortis articulo: qui taliter absoluti si nō se representāt ei a quo possunt absolui quācitius possunt vel mittāt pro absolutione reincidūt in eandem scꝫ excōicationem papalē. c. eos. de sen. excom. in sexto. ¶ Sepeliētes corpora in cimiterijs tēpore interdicti in casibus non concessis a iure sunt excōicati per excōicationem episcopalē cle. eos. de sepul. ¶ Sepelientes excōicatos publice aut nominatim interdictos vel vsurarios manifestos scientes in cimiterijs sunt excōicati. d. cle. eos. ¶ Clerici locantes domos manifestis vsurarijs ad fenus exercendum seu alio titulo cōcedentes sunt excōmunicati. c. vsurarū. de vsuris. li. vi. ¶ Non electus a duabus ꝑtibus cardinaliū et se gerens ꝓ papa est excōicatus c. licet. de elec. ¶ Monachi et canonici regulares: archidyaconi: decani: ꝓpositi: plebani: cantores et alij clerici ꝑsonatum habētes. aut quiuis p̄sbyteri qui audiunt leges vel phisicā sunt excōmunicati. c. non magnopere ne clerici vel monachi se rebus secula. immi. ¶ Religiosi dimittentes vbicunqꝫ habitū sue religionis et accedētes ad queuis studia litterarū sine licentia prelati aut cōuentus sui: sunt excōmunicati. c. vt ꝑiculosa. ne cle. vel monachi. libro sexto. ¶ Religiosi qui decimas debitas ecclesijs sibi appropriant vel vsurpant. siue qui non permittūt solui ecclesijs decimas de animalibus familiarum et pastorum suorum: si non habent administrationem et benefitia sunt excommunicati. si habent sunt suspensi nisi requisiti

deſtiterint infra menſem.cle.religioſi.de deci.

¶ Monachi et canonici regulares non habentes adminiſtrationem et ſe conferentes ad curias principū vt damnū monaſterijs inferant aut prelatis ſine licentia ſuo℞ prelatorū: ſiue qui tenent infra ſepta monaſterij ſunt excōmunicati .cle.ne in agro.de ſta.mo. ¶ Religioſi necnon moniales ꝓfeſſi contrahentes matrimoniū et alij clerici conſtituti in ſacris de facto ſcꝫ ſunt excōmunicati .cle.eos.de conſangui.et affinita. ¶ Inquiſitores hereticoꝝ qui pretextu officij inquiſitiōis quibuſuis modis illicite pecuniā extorquent: vel ſcienter bona eccleſiarū ob delicta clericorum fiſco eccleſie applicant ſunt excōmunicati nec abſolui poſſunt niſi plene ſatiſfecerint illis a quibus extorſerint.cle.nolentes.extra de hereticis. ¶ Religioſi non ſeruantes interdictū quod ſeruat ſancta Romana eccleſia.cle.ex frequentibus.de ſen.excō. ¶ Religioſi qui confitentibus ſibi non faciunt conſcientiā ſcienter de decimis ſoluendis: tales ab officio p̄dicationis ſunt ſuſpenſi donec cōmode poſſunt faciant eis conſcientiā.et ſi interim predicant ſunt excōmunicati. Similiter et religioſi qui dicunt aliqua verba vt retrahāt audientes a ſolutione decima℞ ſunt excōmunicati .cle.cupientes.de penis

¶ Religioſi mendicantes qui domos ad habitādum vel loca de nouo reciperēt aut mutarent vel alienarent de nouo recepta cle.cupientes.de pe. ¶ Fratres minores qui tempore interdicti recipiunt ad diuina fratres vel ſorores de tercio ordine ſancti franciſci ſunt excōmunicati.c.cum ex eo.de ſen.excom.in cle.

¶ A prelatis in cōmuni inquirendū eſt primo.c.xiiij.

Si legitime aſſecutus eſt dignitatē ſeu prelationem an videlicet aliqua irregularitate vel ſententia fuit irretitus cum fuit aſſumptus ad prelationē:in qua nō fuit diſpenſatus vel abſolutus videlicet fuit bigamus.

Si opatus eſt in cauſa ſanguinis. Si illegitim⁹. Si excōicatus vel ſuſpenſus vel notorius concubinarius: quilibet hoꝝ hoc ſciens tenet prelaturā furtiue: vnde eſt omnue in mortali. Nota ꝙ illegitimus ad dignitatē vel bñficium curatū vel prioratū in religione qui creat̉ per electionē ſine diſpēſatione pape promoueri non pōt. Ex priuilegio tñ magiſtri ordinis cum his pōt diſpenſari ad ꝑlaturam in ordine ꝑdicatoꝝ. de hoc habes in. iiij. ꝑte ſum. ti. de cenſur. eccle. Si rite et abſq; vitio ſymonie fuit electus cōfirmatus et ordinatus. Si interpoſuit ꝑces pro ſe vel ꝓcurauit ꝙ alius porrigeret ꝑces: ſymonia eſt: ⁊ ſi fuit ſymonia pactionis indiget diſpēſatione pape et anteꝗ̄ ſit diſpenſat⁹ tenet furtiue dignitatē. de hoc in. ij. ꝑte ſum. ti. de ſymonia. ⁊ in omnibus q̄ habes ſupra in. c. de clericis. in cōmuni potes iterrogare ꝓut erit expediēs. Et ſi eſt ꝑlatus religioſus interrogādū eſt de his q̄ ſunt in. c. ꝓcedenti et de alijs qui ſequūtur. Si aliqđ manifeſtū peccatū in ſubditis diſſimulauit ⁊ non correxit: aut ſi nō manifeſta qua tamen ad eius notitiā aliqualiter ꝑuenerunt vlterius non q̄ſiuit. ſi vero ex negligētia dimitteret: puto mortale quo ad criminalia: ſi aūt ex aliqua rōne: vt ad manus ſcandalū vitādum ſecus. Si in capſo equus iudex nō fuit. Si de rebus monaſterij dilapidator fuit. Si ſuꝑioribus ſuis nō obediuit. Si cauſas ſibi a ſuꝑioribus cōmiſſas nō ſcđm conſiliū ꝑitorum: ſed ſcđm acceptionē ꝑſonarū determinauit. In omnibus eſt pctm̄ mortale vel veniale ſcđm quantitatē exceſſus et maliciā et negligētiam. Si indignos et nō ydoneos in officijs poſuit: ⁊ maxime ad curā animarū: et male videt̉ talis poſſe excuſari a mortali ſi eos quos ſcit malos ⁊ in mortali ꝑſeuerare ponit ad curam animaꝝ cum pōt repellere: nec credo ꝙ excuſet paucitas. ſcꝫ quia non inueniunt̉ alij. et etiā ſi iſte ſit alias induſtrioſus multū et bene officiet eccleſiā in exteriorib⁹. Idem cū ſuſtinet

tales ſi illos pōt iuridice remouere. ❡ Si poſuit in audientiā confeſſionū notabiliter ignorātes et ineptos vel criminoſos: mortaliter peccauit per regulā. Qui cauſam damni dat. Idem ſi talis tolerat cum poſſit remouere: niſi forte a ſuperiori ſint ad hoc poſiti. Sed quā curam de ipſis habebit cum ad ſui damnationem exerceāt tales officium audiēdi cōfeſſiones. Quomō autē dicatur ineptus vel notabiliter ignorās habes in ſum.

❡ Si fuit nimis pompoſus ꝛ curioſus in edifitijs eccleſie vel monaſterij: in ornamētis et hmōi: quod eſt contra ſententiam Hyeronimi et Ambroſij. xij. q. ij. c. aurum. et. c. gloria epiſcopi. et etiā Bernardi. Et tamē a modernis fiunt hodie multe ſuperfluitates ꝛ curioſitates ꝛ palatia contra exempla omniū ſanctorum: et in his amittitur multū tempus et deuotio: ita vt completis edifitijs exhauſtus videat̄ omnis ſpiritus et pauperes interea moriunt̄ fame quos de ſuꝑfluis eorum tenētur ſuſtentare. xij. q. i. c. epiſcopus eccleſiarū. ❡ Si nimis fuit ſollicitus circa tēporalia: ex hoc minus debito vacans ſpiritualibus in ſe et in ſubditis: vt lectioni: orationi: admonitioni vtiqꝫ peccatū eſt plus et minus ſcđm quātitatē exceſſus. Principalis enim cura eius debet eſſe de ſpūalibus. ❡ Si ꝑ curias nimis diſcurrit litigādo cum ſcandalo hominū cum poſſet per aliū modum magis paciſci cum ſua repetere et ſi non tm̄. ❡ Si iura et priuilegia ſue eccleſie non ſeruauit et defendit vt debuit.

❡ Si in diſpenſando indiſcrete ſe habuit: vel qꝛ nimis de facili et ſine cauſa rationabili in ieiunijs diſpēſauit. in eſu carnium. in retinendis rebus ad vſum. in penitentijs taxatis ſcđm regulam vel conſtitutiones et hmōi: quia peccauit inducēdo relaxationem et rigorem religionis eneruādo. Unde beatus Benedictus in regula dicit ꝙ de omni diſpenſatione habet reddere rationem. ❡ Si fuit nimis durus in diſpenſando cum debuit: ꝑcipue cum nobilibus et infirmis et hmōi: non prouidens eis.

¶ Si fuit exemplaris in inceſſu moderato: habitu non pcioſo in modeſtia geſt⁹: in locutione rara graui ⁊ fructuoſa: cauens diſcordias. pacē nutriens. omnes patienter videns et tolerans ſingſaritates vitans. cōmunia ſequens cum pōt. nemini blandus. affabilis cunctis. Suſurrationes: detractiōes: irriſiones confabulationes: maledictiones: cōtentiones in ſe et in ſuis eliminans: circūſpectus in omnibus: non delectatus de pſidentia ſed timens de negligētia: cum de ſingulis habeat reddere rationem ſibi cōmiſſis. ita curam alioꝝ habeant ꝙ ſi non obliuiſcātur. vt docet Gregori⁹. in paſtorali. ¶ Si in corrigendo fuit nimis remiſſus: vel nimis rigidus vtrunqꝫ cauendū eſt. vt docet Gregori⁹ in moralibus. et habet. xlv. diſt. c. diſciplina. nam facilitas venie incentiuū prebet delinquendi. Ambroſi⁹. xxiij. q. iiij. c. Eſt iniuſta et aſpitas nimie increpationis: nec correctionem recipit nec ſalutem. Leo. diſt. xlvi. c. cum beatus. et. c. licet plerumqꝫ. ea. diſt. Precipue vero circa ſeniores debet prelatus in corrigendo ſe habere humanū. vt dicitur in illo. c. niſi eſſent habituati in malo. quia tunc durius ſcdm Gregoriuꝫ. vt diſt. c. diſciplina. et. c. licet plerumqꝫ. et. c. cum beatus. et. c. plenitudinis tempora. xxvi. q. vij. et. c. tanta. lxxxvi. diſt. ¶ Si non induxit quātum potuit verbo ⁊ exemplo ad obſeruādum omnia cerimonialia ordinis ſui. ¶ Si malas cōſuetudines ſeu corruptelas regnare pmiſit. ¶ Si contra regulam et decentiaꝫ religionis etiā quas inuenit iam inductas non abſtulit quantum potuit vt vicium ꝓprietatis: diſcurſum fratrū ad palaciū: familiaritatē cum mulieribus vel viris ſi et monacha: collationem rerū amicis et cōſanguineis ſine licentia et rōnabili cauſa. eſum carniū vbi non debēt comedi qđ eſt vniuerſale omi monacho. de conſe. di. v. c. monacho. et pcipue que ſunt cōtra eſſentialia vota religionis nullo modo debet pmittere. nec etiaꝫ ad receptionem ſymoniacā monialium ſicut hodie fit quaſi vbiqꝫ.

Quod ſi non pōt talia remouere: nec eſt ſpes in futuꝝ: dimit tat curā exemplo ſancti benedicti. vij. q. i. c. aduerſitas. circa fi. in. c. fi. ea. q. alias nec quietē ſuā amittat: ⁊ tandē cum eis dam nationē incurrat quicūqꝫ ſit ille abbas vel abbatiſſa: prior vel prioriſſa: vel alias quocunqꝫ nomie cenſeant̄. nec ſufficit ꝙ pre latus corrigat vicia q̄ ipſum noſſe cōtigerit: ſed debet diligenter agnoſcere vultum pectoris ſui conſiderādo vias eius. Caueat autē ne crimina ſibi delata in foro cōſcientie vel in ſecreto videli cet de illis in foro contētioſo ſeu in caplo: vbi eīn tantū maniſe ſta ſunt pumēda: nec foro miſcēda ſunt iudiciali. Si habꝫ ſub cura monaſteriū monialiū: de qua materia vide in. c. ſe. Si īdiſcrete fecit p̄cepta: in quibus multū debet cauere: niſi ſit res ardua. ⁊ ſi cogeret p preceptū vel ſententiā ad aliquid faciendū: vel dicendū in quo nō eſſet ei ſubditus: vel nō deberet ei obedire vt reuelādo peccatū occultū: omnino eſſꝫ ei mortale. In inqui ſitione vero criminū: receptione accuſatōnis vel denunciatōnis vel plation e ſententie excōicationis et hmōi non ſit p̄ceps: non pcedat per ſuſpitionē: ſed per pbationes et modos veridicos: alias incurreret graue peccatū et aliquādo ſententiā excōicatio nis. De his in. iiij. pte ſum. Si p̄latus recipit aliquē ad or dinem mendicātium ad pfeſſionē ante annū completū pbatio nis ſeu nouiciat⁹: eſt ſuſpenſus a receptione alioꝝ ad profeſſio nem et debitor pene grauioris culpe. vnde mortaľr peccat. extra de regularib⁹. c. non ſolum. li. vi.

## De ep̄is prelatis ſupioribus. c. xvi.

Circa ep̄os et alios ſupiores prelatos ſic pnt formari interrogatiōes. Si non ſit talis litterature ⁊ ſcien tie ꝙ per ſe ſciat explicare q̄ debet: ad qđ tamen tenet̄ cum habeat alios ſup his informare et dirigere. Nam ſi bon⁹ cōiter ab hominib⁹ reputat̄ et ſufficiens nō eſſet neceſſariū niſi eum audire. et ſi de aliquo negotio non intelligit eum confeſſor

vel dubitat: poteſt de illo loqui ꝑ ſua ſerenitate: et ſi tale quid eſſet in quo varianꝰ opiniones: vel non pōt dari certa ſententia relinquendū eſt ſue conſciētie. Idem dicendū contra alios clericos religioſos ꝑlatos et laicos ꝑitos et timoratos qui ſciunt dicere ſufficienter facta ſua. Si vero nō eſt talis: ſed indiget adiutorio interrogātis inquantū clericus eſt: inquiri ab eo poteſt ꝓut expedire videt̄ de his que habes ſupra circa clericos in cōmuni. vt de officio diuino. de celebratione et adminiſtratione ſacramentoꝝ et modo et hmōi. ¶ Si aſſumptus ad ep̄atum ex religione: interrogandū eſt de his q̄ habes in. c. circa religioſos. quo ad multa: nam adhuc tenet̄ ſeruare ordinē ſuum niſi in his q̄ non patiunꝰ officium paſtorale. vt ſilētium: ſolitudo: et vigilie et hmōi. ¶ Inquantū vero bn̄ficiatus ſeu curatus eſt et ꝑlatus eſt interrogādum eſt de his q̄ habes ſupra in. c. circa beneficiatos. et ſi recepit dignitatē ſeu ep̄atum habens aliquā irregularitatē: vel ꝑ ſymoniā: vel per intruſionē dic vt in. c. precedenti. in prin. Deinde interroga de his q̄ ſequūtur que ſunt ſpūalia cure et officij paſtoralis. ¶ Si contulit ordines ſacros indebite: qd̄ eſt vnum in quo multū offendunt. ¶ Si cōtulit per ſymoniā ſed occulte: mortaliter peccauit. non tamē eſt ſuſpenſus ex hoc quo ad alios: ſed ꝑ ſymoniā notoriā eſt ſuſpenſus etiā quo ad alios. Sed in vtroqꝫ caſu ordinatꝰ ab eo eſt ſuſpenſus et indiget diſpēſatione. ¶ Si contulit ſcienter nō habentibus legitimā etatem: mortale eſt. nec pōt ipſe diſpēſare de etate. ¶ Si cōtulit ordines ꝑ ſaltum ſcienter: vel duos ſacros ſimul: vel quatuor minores cū ſubdyaconatu: peccat mortalr̄.

¶ Si contulit ordines ſacros extra tēpora ordinationū: mortale eſt niſi ex diſpēſatione pape: et ordinatꝰ eſt ſuſpenſus: minores tamē ordines conferre pōt diebus feſtiuis. ¶ Si in ordinatione obmiſit aliquid faciendū: et ſi obmiſit aliqd̄ de ſubſtantialibus in quibꝰ imprimiꝰ caracter: oportet totū iterare in alia

ordinatione quattuor tpm. ſi vero eſt qd non ſubſtantiale ſed de ſimplici ſolēnitate non debet iterari: ſed ſuppleri tm̄ obmiſſum in ordinatōne alia: nec prius ante ſuppletionē iſte ordinatus deb3 exercere officiū peccat ep̄us in hmōi ſi ex certa ſcientia vel craſſa ignorātia hoc facit. Idem videt̄ ſi ex notabili negligētia. ¶ Si ordinauit aliquem ſine licentia ſui ſupioris ſcienter mortale eſt: et eſt ſuſpenſus per annū ab ordinū collatione.

¶ Si nō fecit fieri examinationē de ordinibus: de ſcientia: de etate: et moribus et hmōi ſcd̄m iura: peccat mortaliter. Idem ſi fieri fecit examinationē p ineptos ad hmōi ordinādos. ¶ Si fieri fecit p tales quo eſtimabat ꝓpter malam eorū3 conſcientiā admittere indignos ſi ad eum ſpectat ꝓuidere de talib' vel remediare: et ſi ſciēter admitti indignū quē iuſte repellere pōt vt concubinariū illiteratū et hmōi. ¶ Si nō contulit ſacr̄m confirmatōnis qn̄ debuit. Soli eīn ep̄i pn̄t illud oferre: et extra illud tp̄us ſolitum omni tp̄e anni et hora morituris pn̄t concedere ne ſine hoc moriātur: quāuis ſine hoc ſaluent̄. Cōmittendo ergo magnā negligentiā et p multos annos: credo eſſe mortale.

¶ Si nō dedit ſacramentū ſcd̄m debitam formā materiam et locum mortale eſſet. Qd̄ autem ſit ieiunus nō eſt neceſſe et ſi decens et de iure ¶ Si bis alicui dedit ſcienter: peccauit mortaliter. vnde in hoc debet eſſe cautus ne iteret: et etiā debet aduertere ꝙ aliquis chriſmatus teneat chriſmandū: non conſanguineus ſed alius. ¶ Si in cena domini nō conſecrauit chriſma et oleum ſanctū vt debuit. quia innouāda ſunt talia: et ſi nō ſeruauit debitā materiam et formā et ritum eccleſie: mortale eſt et hmōi. ¶ Si conſecrationes eccleſiarū vel altariū et calicum et patenarū et benedictiōes veſtium ſacrāꝝ non fecit vt debuit ſcd̄m formā et ritum eccleſie: vel ſi quid hoꝝ fecit per ſymoniam: mortale eſt. Idē de benedictionib' abbatū et abbatiſſarum. Idem de recōciliatione eccleſie violate. Monialem quā3

nouit eſſe corruptã non de facili debet conſecrare in virginẽ:nec tamẽ manifeſtare crimẽ ſi eſt occultũ: ſed mutare nomẽ virginis in caſtam vt non ꝑpendatur. ¶Si contulit beneficia per ſymoniã:mortale eſt: et ſi ꝑ notoriam eſt ſuſpẽſus etiam quo ad alios:ſec⁹ ſi per occultã:quia non eſt ſuſpẽſus. ¶Si contulit ſcienter indignis beneficia:ſiue ſimplicia ſiue curata:mortale eſt. Idem ſi acceptauit a patronis pſentatum ineptum. Idem ſi confirmauit indignũ. ¶Si contulit plura beneſitia in caſu non conceſſo vni:vel plura officia aut pbendas aut dignitates:vel ſi cõſanguineis minus aptis contulit ratõne conſanguinitatis poſtponẽdo aptiores:mortale eſt. ¶Si admiſit ad beneſitia habẽtes curam animaꝝ ſeu ipſa contulit nõ habentibus annũ.xxiiij.mortale eſt. ¶Si eccleſijs de iure vacantibus non ꝓuidit de rectore ſicut vacant curata beneſitia data abſq; diſpenſatiõe pape his qui non attingunt annũ.xxv.vel ſi infra annũ non faciunt ſe ad ſacerdotium ꝓmoueri niſi cauſa ſtudij ſit obmiſſum. de quo in.c.circa beneficiatos. ſupra. Si enim infra ſex menſes primo poſt hoc non ꝓuidit: non põt poſtea ſe intromittere.alias vſurparet quod nõ poteſt. qꝛ mortale eſt:et non tenet talis collatio:et ſic teneret errorem ſuũ manifeſtare. Idem quãdo recepto ſecũdo beneſitio vacauit primũ:vel ſecũda prebenda vacauit prima.de quo habes ſupra.ſed plene in quarta pte ſum. ¶Si ordinauit aliquẽ clericum ad ordinem ſacrum ſine titulo vel beneſitio:vel ſaltem patrimonio ſufficienti quia vltra peccatũ tenetur ei expẽſas facere quouſq; de beneſitio ſit ei ꝓuiſum:niſi aliquis epus hoc ei cõmiſiſſet determinando pſonam:quia tunc ille cõmittens tenet̃ ad id de huiuſmodi.de quibus vide in.iiij.pte ſum.ti.

¶Si in viſitatione non diligenter queſiuit de quibus debuit et maxime de vita et honeſtate ſacerdotũ officiantiũ et quomõ ſe habeant in adminiſtratione ſacramentoꝝ et de forma eoꝝ.

¶ Si bene pnunciant pcipue baptiſma qδ eſt magis neceſſarium. De audiētia confeſſionū quomō ſe habeāt: quomō populum admoneāt: et in reb⁹ eccleſie pcipue altaris ꝙ teneāt mundas. Si autē inuenit in hmōi notabiliter excedere et piculoſe ſi nō puniet et puidet ꝙ illi ſe emendēt: vel de alio ſi iſte eſt incorrigibilis ⁊ omnino inept⁹: grauiter peccat. et omnia mala ⁊ damna animaꝝ que inde ſequūtur ei imputātur ſi pōt obuiare et nō facit. lxxxiij. di. p totū. ¶ Si non viſitauit epatum ſuū vt debuit. ¶ Si in viſitatiōe nimis ſumptuoſus fuit et cum nimia familia: ⁊ equitaturis nimis vltra pſcriptum numerū: vel ſi ipſe vel familia eius munera accepit: ſup quo eſt ſpālis pena. de quib⁹ plene in. iij. pte ſum. ¶ Si ſuſtinet in officijs et bñficijs notorios ↄcubinarios quos debet poſt admonitionē ſi non dimittāt etiam bñficio priuare: grauiter peccat. ¶ Si p alijs malis et ſcelerib⁹ manifeſtis nō punit. vt i vſuris: ludis tabernis: aleis: negotijs ſecularib⁹: venationib⁹: pditionib⁹ et hmōi. in his em̄ non puniēdo videt̄ male poſſe excuſari a mortali: niſi ex hmōi punitionib⁹ ſequeret̄ ſciſma vel magnū ſcandalum. di. i. c. vt conſtituerētur. ¶ Si laicos ſibi ſubditos notorios pctōres quos p ſe nouit: vel ſibi parrochianos eoꝝ denūciatos vt adulteros: vſurarios: inimicitias manifeſtas exercentes nō corrigit p cenſuras et alios modos: grauiter peccat: niſi obmittat: quia non ſperat̄ emendatio ſed deterioratō eius. Sed tamē hoc non videt̄ ſufficienter excuſare: ſed hoc aliud ſi timeretur graue ſcandalū in alijs. di. xliiij. c. cōmeſſationes. ¶ Si malas ↄſuetudines quas repit in ſua dyoceſi non vtit̄ auferre quātum pōt vt vendere: laborare et hmōi. diebus feſtiuis nō cōmunicari ſemel in anno et cōfiteri et hmōi. tripudiare in eccleſijs: pmittere violari eccleſiaſticā libertatē: aut ꝙ clerici conueniātur pro delictis vel p debitis in iudicio ſeculari vel eccleſiaſticā immunitatē; vt ꝙ extrahātur debitores vel malefacto-

res p̄ violentiam de locis ſacris et hmõi in caſibus non conceſ-
ſis: debet eni3 ꝓhibere: et ſi poſt admonitionẽ nolunt deſiſtere
excõmunicare et pro cõmiſſis iam punire: alias peccat graui-
ter obmittẽdo ex timore vel negligentia. di. lxiij. ſit rector vel do-
ctor. ¶ Si fructus vel redditus epatus ſui male expẽdit: dan-
do ↄſanguineis ſuis vel alijs non indigẽtibus peccat grauiter
et ſi diſtincta ſint ea que deputãtur ad menſam eius ab alijs:
et ſi ea que erogare debet clericis vel ad reparationẽ eccleſie vel
paupibus dat cõſanguineis vel alijs amicis ſine ꝓbabili indi
gentia: tenet̃ reſtituere illa: quia rapinã fecit. Et ſimiliter reci-
pientes ab eo. Si vero nõ ſunt diſtincta hec bona cũ intelligan
tur omnia cõmitti fidei ſue: ea que ſupfluunt ad vſum ſui et
familie ſue ↄuenienter debet paupibus erogare: alias nõ dan
do pauperibus ſubtrahit. xij. q. ij. c. aurũ. et. c. gloria epi. Tho.
¶ Si grauauit ſuos ſubditos in indebitis collectis ¶ Si fecit
clericos ſuos ſoluere collectas talias poſitas a domino tpali:
vel gabellas ad eius inſtantiã. ¶ Si ſponte ipſe dedit abſq3 li
centia romani pontificis: q2 prohibet̃. ¶ Si delicta clericoꝝ vel
laicoꝝ blaſphemantiũ deum vel ſanctos: ſuffocantiũ puulos
ex inaduertẽtia et hmõi puniuit magis pena pecuiaria ex aua-
ritia et magis ꝓpter lucrum ꝙ pro ſalute eoꝝ ad refrenandũ
¶ Si viſitauit dyoceſim viſitari fecit magis ꝓpter lucrum ꝙ
ꝓpter animarũ ſalutem. ¶ Si alienauit bona epatus ſui ſine
licentia pape in caſu indebito: in quolibet hoꝝ eſt mortale.
¶ Si iura aliarũ eccleſiarũ non ſeruauit. ¶ Si bona vacan-
tium eccleſiarũ ſibi vſurpauit: cum debeant ſucceſſori reſeruari
¶ Si iuſta debita a p̄deceſſoribus cõtracta ratione eccleſie nõ
ſoluit. ¶ Si fructus alicui⁹ beneficij ad tpus accipit vel partẽ
ab eo cui dedit vult habere in quolibet hoꝝ eſt rapina. ¶ Si
non ſeruauit formã iuris circa manifeſtos vſurarios: ſed de cer
ta quãtitate contentus non facta debita reſtõne remittit ſibi et

ad ſacrāmēta et ad ſepulturā admittit. ¶ Si in certa paupꝫtate diſpenſanda ad vſum ſuū conuertit ſine neceſſitate. Si ſententias excōicationis de facili ꝓpter lucrum ꝓferret vel abſolutiones. ¶ Si ꝑmiſit queſtuarios vel alios ꝓnunciare indiſcretas indulgentias et falſas: quodlibet eſt mortale et graue ¶ Si exemptos vt p̄dicatores: fratres minores: heremitas ſancti Auguſtini: carmelitas: ſeruitas: ciſtercien̄ſes: et alios habentes priuilegia exemptionis iniuſte moleſtat: nō ſeruando eorꝫ priuilegia: vel ꝑ audientia confeſſionū non admittēdo ſibi preſentatos ydoneos ſcōm cle. dudum. de ſepul. vel ſibi retinendo nimios caſus vel incōſuetos. vt quotidie habebāt ire ad ipſum vel ad aliū: cogendo quantū ad id in quo ſunt priuilegiati: vel eos ad iudicium trahēdo cum in nullo poſſit eos cōuenire niſi pro hereſi peccat grauiter. ¶ Si monaſteria monachorꝫ vel monacharū non exempta nō diligenter et honeſte viſitauit: vel eos vel eas ad ſeruandū regulam induxit deponēdo abbates vel abbatiſſas ꝓ relatione cum expedit habendo curā de honeſtate earum: et ꝙ non habeāt familiaritatē cum clericis religioſis vel laicis: ꝓuidendo de diligenti clauſura et de confeſſore ſecuro docto bone conſcientie: ꝓhibendo ingreſſum ſymoniacū et cōmunia feminarum que ibi fiunt et feſta vana in conſecratione earum.

¶ In iudicando in foro contentioſo.

¶ Si non tenuit vicarium peritū et bonum: p̄cipue quādo ex ſe non habuit debitā ſufficientem iuris. ¶ Si non ſeruauit debitum ordinem iudiciariū ¶ Si fuit acceptator perſonarꝫ ¶ Si dedit iniquas ſentētias dic vt ſupra in. c. circa iudices ¶ Si non ſeruauit debitā formam iuris in ferendo ſentētias excōicationis ſuſpēſionis et interdicti. quia vltra peccatū mortale incurrit certam penā. de qua in. iiij. ꝑte ſum. p̄cipue in cauſis matrimonialib⁹ oportet eſſe cautiſſimū ⁊ ponderoſum circa

diuortia ¶ Si dedit licentiã dñio tp̄ali vel iudici verberãdi vel ponendi in patibulo: vel incarcerãdi vel alias puniẽdi cleri-cos ſuos niſi in caſu in quo eſſent incorrigibiles p̄ eum: quia efficitur cum p̄dictis excõmunicat᷒. c. vt fame. de ſen. excom.. Neminẽ tamen debet verberare manib᷒ ſuis: nec tamẽ cum ex-pedit per laicum: ſed p̄ clericũ debet facere verberare clericum ſcd̄m iura et a cauſis ſanguinũ debet abſtinere ope: conſilio ⁊ mandato. ¶ Si hereticos diligẽter non inq̄ſiuit in dyoceſi ſua et punit ſcd̄m iura. ¶ Si teſtamẽta et vltimas volũtates nõ fecit implere. p̄cipue legata facta ad pias cauſas. ¶ Si diſpẽ-ſauit in votis ⁊ iuramẽtis in quibus non potuit: vel ſi potuit: tamẽ indiſcrete et ſine cauſa rõnabili: peccatũ eſt graue. ¶ Si abſoluit a ſentẽtijs a quibus nõ potuit: vt pape reſeruatis: vel diſpẽſauit in irregularitate de qua nõ potuit. ¶ Si exempla-ris fuit in habitu non precioſo vel pompoſo: ſuppellectilibus non argẽteis: et curioſus in apparatu domus: et ornatu nõ ſe-culari in victu ſobrio non cõuiuali niſi pro paup̄ibus in viſitã-do eccleſiã: intereſſendo diuinis: et p̄cipue in dieb᷒ feſtiuis. hec debet facere ſcd̄m iura in ſolẽnitatibus p̄cipue cantando miſſã dicendo officiũ deuote non curã ordinando q̄ dicatur in eccle-ſia ſua: debite frequentãdo orationes p̄uatas: vacando lectioni diſt. xxxvi. per totũ. predicando ſi ſcit: ſi neſcit p̄uidendo gregi ſuo de p̄dicatoribus vtilioribus nõ curioſis: et de confeſſoribus tenendo honeſtã deuotam familiã: ſollicitus de eius ſalute: vi-tando mulierũ conuerſationẽ ſicut poteſt ¶ In exitu de domo raro niſi ad eccleſiam: ſepe conferendo et querendo conſilia a ſeruis dei quomõ poſſit gregi ſuo p̄uidere adulationes vt vene-num abhorreat: pater viduarũ: pauperum: orphanoꝝ et oppreſ-ſorum exiſtat: et cauſas eoꝝ ſine expẽſis expedire faciat. in iniu-rijs proprijs non ſit vindicatiuus ſed patientiſſimus. in verbo et geſtu non ſubditus et iracundus. nemini multũ familiaris.

niſi ſeruis dei ſuperioribus obediens. equalibus non inuidens. non gaudẽs de dignitate et honore: ſed lugens ꝓ exteriori oc-cupatione et plebis offenſione. et ſi in omnibus diligẽter ſe ha-buerit: nil deo acceptabiliꝰ. ¶ Si vero ꝑfunctorie et male: nil miſerius et damnabilius epi dignitate. vt dicit Augꝰ. di. xl. ca. ante omnia ¶ De platis habes multa in tercia pte ſum. ti. ſi. p totum. ¶ Epi et ſupra concedentes vnã domum vſurarijs manifeſtis alienigenis ad fenus exercendũ ſunt ipſo facto ſu-ſpenſi. extra de vſuris. c. quanq̄. de vſur. li. vi. Similiter ſi per mittit ꝙ hmõi vſurarij exerceant fenus in terris eoꝝ ſubiectis iuriſdictioni niſi infra tres menſes expulerit eos ſuſpenſi ſunt. vt in dicto capſo. quanq̄. de vſuris. libro ſexto. ¶ Qui ſe gerit pro papa electuſ a minori parte q̄ a duabus ptibus cardina lium eſt ipo facto excõicatus. ¶ Et ſimiliter cardinalis qui pre ſumpſerit nomiare talem papã. ¶ Et ſimiliter omnes alij qui talem recipent pro papa. extra. de elec. c. licet. li. vi. ¶ Omnes clerici et religioſi ac laici: ſiue familiares curie: ſiue alij qui ali quod pactũ fecerint vel aliquid magnũ vel paruũ ꝓmiſerint: vel ꝓmiſſionem receperint quid magnuꝫ vel paruũ pro aliqua iuſtitia vel gratia ꝓ ſe vel alio in cauſis iudiciarijs vel litteris apoſtolicis et quibuſcunqꝫ modis ab apoſtolica ſede obtinen-dum ipo facto ſunt excõicati. in extrauagãte Bonifacij octaui cuius abſolutio pape reſeruat̃. Hec habent locũ in curia Ro-mana. Johan. an. Antho. de butrio eum allegant.

¶ De abſolutione et penitentie iniunctione. c. xvi.

Poſtq̄ vero penitens dixit ex ſe peccata ſua ſiue ex in-terrogatione cõfeſſoris interrogãtis peccata ſua vt de buit: tandem cõcludat. In iſtis peccaui et in multis cogitatione. delectatione. locutione. opere. et obmiſſione. vel ali quo de hmõi: de quibus dico meam culpã. Cõfeſſor vero inter rogat eum ſi ſit talis de quo non dubitet: quia tunc ſupfluuꝫ

et irriſibile. Si ipſe dolet de omnibus peccatis venialibus et mortalibus confeſſis: et ſi ꝓponit firmiter ab illis abſtinere ſeu ab omnibus mortalibus. Si vero talis habet aliqua reſtituere: vel famā vel res vel pro iniuria ſatiſfacere et hmōi: ſi eſt paratus facere quā citius poteſt abſqꝫ dilatione aliqua. que reſtitutio quomō facienda ſit et quo ordine quo ad certa et incerta vide in ſecūda parte ſum. ti. de reſtitu. per totum. ꝙ ſi dicat ſe nolle iſtud facere vel non poſſe cum tamē poſſet: non eſt abſoluendus. Tho. vt dicitur. xi. q. iij. c. tunc vera. poteſt tamē ſibi dici. Miſereatur tui ꝛc. ſed nullo modo. Ego abſoluo te. Poteſt etiam ei iniungi aliqđ bonum faciendū: non tamē in penitentiam declarādo ſibi hoc ꝙ infructuoſa ſit talis cōfeſſio ei et ſine remiſſione peccatorꝫ. de peni. diſt. v. c. falſas. Sed ſi paratus eſt facere omnia ad que tenet̄: tunc ſi eſſet aliqua excōmunicationis ſententia ligatus: ſi non potes abſoluere eum ab illo: remitte eum ad epiſcopū ſeu ad alium qui poſſit abſoluere. vel tu vadas ad procurandū abſolutionem pro eo. et cum eſt abſolutus ab excōicatione: poſtea tu eū abſolue a peccatis et nō prius. Tho. ſi autē potes eum abſoluere habēdo in hoc ſpecialem auctoritatē: ſi non abſoluiſti euꝫ in principio qđ decentius fuit. nec tamē eſt multa vis ſi fiat in fine confeſſionis: dūmodo fiat ante abſolutionē a peccatis: abſolue eum per hunc modū vt infra. ¶ Primo exigendū eſt ab eo iuramentū vt ſit paratus ſtare mandatis eccleſie que illi fient pro illa cauſa. quo iuramēto preſtito: iniungat̄ ei hoc ſcꝫ ſi incidit faciendo contra aliqueꝫ canonem ꝓponat non amplius facere contra illū. Si vero pro offenſa vel damno facto in alium ꝓmittat ſatiſfacere quātum poteſt. Et hoc facto denudatis humeris: cōfeſſor ſeu abſoluēs cum diſciplina vel virga ꝑcutiat eum dicendo pſalmū. Miſerere mei deus ſcđm magnam miſcđiam tuaꝫ. vel alium pſalmū penitentialem dando ictum pro quolibet verſu. Poſtea vero

Gloria patri et filio. Sicut erat in principio. His finitis ſubiungit. Kyrieleiſon. Xpeleiſon. Kyrieleiſon. Pater noſter. Et ne nos indu. ℣. Saluū fac ſeruū tuum dñe. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Eſto nobis dñe turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil pficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non aponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationē meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcū. ℟. Et cum ſpiritu tuo. ¶ Oremus.

Deus cui ꝓprium eſt miſereri ſemꝑ et parcere: ſuſcipe deprecationē noſtram et hunc famulū tuum quē ſententia excōicationis ligatū retinet: miſeratio tue pietatis abſoluat. Per xp̄m dominū noſtrū. Auctoritate omnipotētis dei et beatoꝝ apoſtoloꝝ Petri et pauli et domini pape vel archiepi vel epiſcopi mihi conceſſa ego abſoluo te ab hoc vinculo excōicationis quā incurriſti ꝓpter iniectionem manus violente in clericū vel religioſum: vel ꝓpter ingreſſum in monaſteriū monialiū in caſu non conceſſo et hmōi. Et ſi plurib᷒ ſententijs eſt ligatus: eſt dicendū totiens. Ego abſoluo te ab excōicatione quā incurriſti ꝓpter talem et talem cauſam: et ſi pluries ꝓpter eandē cauſam: dicendum eſt totiens quotiēs incurriſti. totiens ego abſoluo te et reſtituo te ſanctis ſacramentis eccleſie cōmunioni et vnitati fideliū. In nomine patris et filij et ſpirit᷒ ſancti. Amen. verberando eum vſq; ad amen.

¶ Nota tamē q̄ iſta forma quāuis debeat obſeruari. vt extra de ſen. excom. c. nuꝑ. non tamē ita neceſſaria quin ſimplici verbo fieri poſſit ſcd̄m Pe. de palu. et Johan. de lign̄. Sicut ergo excōicatio fieri poteſt ſimplici verbo quāuis non debeat fieri ſic eſt abſolutio in publico vt erga mulieres: forte tunc eſſet obmittenda huiuſmodi verberatio ne denudetur peccatū.

¶ Si vero quis ꝓpter rem ablatam alteri eſſet excōmunicatus quāuis reſtituerit: non tamē eſt abſolutus: niſi iudex qui

contulit ſententiam eum abſoluerit: et hoc declarandū eſt per-
ſonis poſt abſolutionē ab hmōi. vel ſi non eſt aliqua ſententia
ligatus habet aliquos caſus peccatoꝝ epiſcopo reſeruatorum
de quibus non potes abſoluere: nihilominus abſolue eum ab
illis a quib⁹ potes ſub hac forma. Si teneris aliquo vinculo
excōicationis minoris ego abſoluo te et reſtituo te ſanctis ſa-
cramentis eccleſie. In nomie patris et filij et ſpūs ſancti. Miſe-
reatur tui ꝛc. Filius dei per ſuaꝫ miſcōiam te abſoluat: et ego
auctoritate qua fungor abſoluo te ab omibus peccatis tuis a
quibus poſſum te abſoluere. In noie patris ꝛc. Peccata vero
a quibus nō poteſt eum abſoluere exprimat ei imponēs vt ha-
beat recurſum ad epiſcopū vel eius vicarium ꝓpter huiuſmōi
abſolutionē: et dicat ea ſibi in cōfeſſione: vel ſi eſſet ſimplex et ne
ſciret ita bene exprimere factum ſuū: ſcribat confeſſor in cedula
illud vel illa ſi ſunt plura vt illam portet penitens epō vel eius
vicario ſub hac forma vel ſimili. ¶ Latorē vel latricem preſentiū
pro homicidio vel inceſtu tali gradu et hmōi commiſſo: abſol-
uendum veſtre paternitati trāſmitto: vt abſolutionis benefi-
cium impendendo et ei ſalutarem penitentā iniungendo ipſam
ſancte eccleſie recōcilietis: q̄ ſi epūs vel vicarius remittat eū ad
confeſſorem ipm auctoritate illius iterum abſoluat ab omni-
bus et imponat penitentiā pro illo ꝓ quo nondū impoſuerat:
et cautū reddat illum ne illam cedulā alteri legendam tradat:
vel etiam ipſe cōfeſſor ſi poteſt vadat ꝓ eo ad epūm pro auctori
tate ſi ſibi velit dare. Si vero ille non habet caſū de reſeruatis
vel ſi habet et confeſſor poteſt de omnib⁹ abſoluere: p̄miſſa ab-
ſolutione ab excōmunicatione minori et alijs vt ſupra. Miſe-
reatur ꝛc. Filius dei ꝛc. Ego auctoritate qua fungor abſoluo
te ab omnibus peccatis tuis. In nomine patris et filij ꝛc. et
faciat tunc ſignū crucis cum dicit. In nomine patris. ſup illū.
nec eſt neceſſaria manus impoſitio ſuper penitentem.

immo nec decens ſcḋm Tho. precipue ſuper mulieres: magis eñ decet ſignatio crucis et poſtea addat. Paſſio domini noſtri ieſu xpi et merita beate marie virginis et omnium ſanctoꝝ et ſanctarū dei merita: et quicquid boni feceris vel ꝓponis facere: et mala que ſuſtinebis ſint tibi in remiſſionē omniū peccatoꝝ tuoꝝ. que verba nō ſunt obmittenda. quia ſunt magne vtilitatis ſcꝫ omnia hmōi cum habeant vim ſatiſfactionis ex virtute clauium ⁊ ſic magis valent. Tho.

De penitentia iniungenda penitenti.

In iniungēdo vero penitentiā penitenti hoc maxime attendēdum eſt ſcḋm omnes. vt ſcꝫ talem des ꝙ credas eum omnino ꝓficere quantūcunqꝫ ſit magnus pctōr. et ſcḋm Criſoſto. meliꝰ eſt in hmōi reddere rationē de nimia miſcḋia ꝙ̄ diuina iuſtitia. xxvi. q. viij. c. alligant. Dando etiā libertatē ꝙ cum vna die obmittit ſcꝫ orationē iniunctā vel ieiuniū: poſſit in alia implere. Si vero dubitať de aliquo ne faciat penitentiā: puta ieiunium: dicas ꝙ faciat loco ieiunij elemoſinā vel aliud. Orationes vero pſonis que de facili ſolent recidiuare in mortali raro dande ſunt: vel per paucos dies dande ſunt. Ieiunia vero elemoſine: et pegrinationes et hmōi poſſunt dari per plures dies: quia hmōi etiam ſi fiant in mortali nō ſunt reiterāda. quia valent quantū ad effectū quem poſt ſe relinquūt poſt expletiōem in ſatiſfaciente cum quis reuertitur ad gratiaꝫ. Tho. Querendum eſt etiā a penitente ſi poteſtꝰ vel dubitat facere penitētiam ſibi datam: quia tunc nō eſſet danda vel cōmutanda vel remittenda eſſet. Declarandum eſt etiā peccatoribus magnis ſecundū Hoſtiē. ꝙ ſcḋm regulas eccleſie taxatas. xxiij. q. i. c. predicandū pro quolibet mortali eſſet ſeptennis penitentia iniungenda. Et ideo non credat peccata ſua leuia quia parua datur ei penitentia. quia hoc fit ne dimittat quod eſſet ei mortale: et oporteret ei confeſſionem iterare ſi eſſet oblitus eius.

Poteſt etiā admoneri ꝙ faciat aliqđ memoriale de penitentiā ſibi iniuncta vt melius recordet. et ſi obliuiſceret ꝙ ad te reuertatur: vel ſi nō poſſet bene facere illam tu cōmutabis eam ſibi Si vero poſtea recordat de aliquo pctō criminali qđ tunc fuit oblitus ſi pōt habere tui copiā reuertat ad te quāuis non ſit ei neceſſariū: vel vadat ad aliū: nec tenet niſi illud tm̄ dicere. ¶ Si habet vota q̄ non poteſt iplere: vel dubitat ſi tu habes in hoc ſpecialē auctoritatē: diſpenſa. vel potius in aliud pium cōmuta. Si vero nō habes auctoritatem remitte eum ad epūm vel eius vicariū. Caue etiā ne iniungas penitentiā ꝑ quā fiat preiudiciū alieno iuri: aut ꝑ quā det occaſio ruine ſpūalis alicui: aut per quā poſſit manifeſtari alterius peccatū occultuȝ. Confeſſum aūt quantū potes ſtudeas ad contritionē inducere verbis: ſiue ante ſiue in ꝓceſſu ſiue poſt confeſſioneȝ vt non dicat peccata ſua quaſi fabulas: ſed cū deteſtatione. et vt ait Aug⁹. caute et aſtute aliq̄ādo interrogādo que credit illum ex verecūdia occultare. Circa vero turpia et carnalia pctā non deſcēdas nimis ad particulares circūſtantias poſtꝙ habet ſpecies ſufficiens peccati et hmōi: a remotis interrogādo ne addiſcant homines malicias et peccata q̄ neſciunt. Tho. Admonendū eum ſupꝰ omnia vt vitet malas ſocietates. frequēter confeſſionē. audiat verbū dei. querat orationes et participationes bonoꝝ que fiunt in religionibus ⁊ indulgentias.

¶ De infirmis. c. xvij.

Circa infirmos ſic agendū eſt. Aut eīn talis eſt in periculo mortis aut nō. Dico autē ꝑiculum mortis non ſolum qꝛ in extremis conſtitutus: ſed quia frequēter contingit homies mori ex illa infirmitate et medici dubitāt. In tali caſu pōt quilibet abſolui a quolibet ſacerdote de quolibet pctō et a qualibet ſententia abſqȝ licentia cum ꝑiculum eſt in mora. Talis eīn infirmus aut iam amiſit loquelā vel vſū ra-

tionis. puta q iam freneticus aut non. et in primo casu ſi bene viuebat vt bon⁹ fidelis: et frequentabat confeſſionē cōmunem et hmōi: ſi petierit ſacramentū quāuis ex inſperato ei talia acciderint. Uel etiā ſi malus et obſtinat⁹ diu perſeuerās in pctis et diu non cōfeſſus ſi petit ſacerdotē vt confiteret et oſtendit ſe velle facere omnia q̄ debet: et interea factus eſt mutus vel freneticus et piculum eſt in mora: debet pſupponi contritus: et faciente aliquo cōfeſſionem generalē pro eo ſicut fit in populo: ſacerdos facit abſolutionē ab omni ſententia et pctō: et poteſt iniūgere circūſtantibus aliquid pro eo faciendū vel heredib⁹ aut conſanguineis p eius anima ſi volunt acceptare. Deinde debet dari eucbariſtia a pprio ſacerdote ſeculari: quāuis non ſit confeſſus quia non potuit. vel ab alio ſacerdote ſeculari. non aūt religioſo ſi non habuit licentiā a pprio ſacerdote vel epo. alias ipe religioſus incideret in excōicationem papalē in hoc caſu: et hoc eſt verum niſi timeret de expuitione vel vomitu eius. q tunc non deberet ſibi dari eucbariſtia: ſed extrema vnctio tantū: immo etiā ſi non potuit cōicare: quia pter freneſim nō pmitteret ſe vngi poteſt ligari et ſibi violēter dari. Aſtantibus aūt infirmo debet creai ſi pbibent teſtimoniū q petierit confeſſionē et oſtenderit ſigna cōtritionis. Si autē non eſt diu cōfeſſus: vel quia notorius peccator: incurrit ſubito amentiā et mutitatē vel infirmitatem: nec prius nec poſt oſtendit ſigna cōtritionis: nil ei dari debet nec ſacramēta: nec eccleſiaſtica ſepultura. Si vero nec loquelam amiſit nec amentiā incurrit: deb3 ab eo exigi pura confeſſio pctōrum plus et minus ſcdm q tempus patit. Nam ſi eſt in extremis: de principalib⁹ eſt interrogādum: pmaxime inducendo eum ad contritionē cum ſpe venie: ſed ſi nō eſt ita in extremis et vellet facere generalē confeſſionē de tota vita ſua ſicut multi infirmi fecerunt: quāuis non ſit neceſſariū de his que rite alias cōfeſſus eſt iterare confeſſionē admittenda eſt: et tan-

dem abſolutio ipendenda ab omni ſententia excōicationis et ab omni pctō modo ſupra dicto in.c.pcedenti:ita tamen qꝫ ſi ligatus eſſet aliqua excōicacione a qua cōfeſſor extra illud periculū nō potuiſſet abſoluere:debet etiā iniungi qꝫ ſi euadat infirmitatem qꝫ citius cōmode poteſt:pſentet ſe ei ad quē ordinarie ſpectabat abſolutio illius excōicationis: alias ſi nō faceret reincideret in eandem excōicationem.extra.de ſen.excom.c.eos.li.vi. Sed ſi erat detentus aliquo pctō de caſibus epō reſeruatis:nō oportet qꝫ iniungat ei qꝫ poſt ſanitatē ad epum vadat p abſolutione. quia ad illud non tenet:ſed ſufficit ſibi illa abſolutio.

Nota tamē qꝫ ſi talis eſſet vſurarius publicus:non pōt talis admitti ad confeſſionē cōmunez et ad alia ſacramēta:niſi facta prius cautione de reſtōne vſurarum vel pmiſſione ab heredibus de hmōi.et ſi in caſu qꝫ amiſiſſet ipſe loquelā vel vſum rōnis oſtendat p ſigna contritionis ſcdm formam iuris q habetur in c.quanqꝫ.de vſur.li.vi.his pactis non eſt penitentia infirmo iniūgenda.qr eam facere nō poſſet ſed innoteſcēda.vt dicit.xxvi.q.vij.c.ab infirmis declarādo ſibi talē tibi darem penitētiam ſi eſſes ſanus: qꝫuis deberes facere multo maiorē ſcdm regulas eccleſie.ſed qr non potes modo:cum eris ſanus facies hoc vel illud vel venies ad me et dabo tibi. Iſtud tamē vltimū non videtur ſecurū quia raro reuertunt pro penitētia . Si vero deus aliter de te diſponeret imittas pro anima tua tantū pro penitē tia. Poteſt etiā iniungi amicis vel cōſanguineis aliqd pro penitentia ſi vterqꝫ acceptat et ſi credat qꝫ ſatiſfaciēs ſit in ſtatu gratie ſup omnia eīn auiſandus eſt vt ſi debet aliqd alicui vel ratione maleficij vel otractus:vel depoſiti:vel aliter declaret bene vt non diſcedat cum alieno ab hoc ſeculo ne ineternū damnetur.

Et de reſtitutione et legatis ad pias cauſas pro anima ſua ita diſponat qꝫ cito cogantur executores expedire et non prolongare ſicut ſepe et quotidie faciunt.

ꝙ ſi nollet ſufficienter diſponere de reſtitutiõe fienda: nõ eſt abſoluendus. Exhortãdus eſt autẽ ad contritionẽ ſimul et confidentiam diuine miſcdie: exemplo latronis et paſſionis chriſti. Si autẽ haberi non poſſit copiã ſacerdotis: quãuis ſit bonũ habere hmõi ꝑiculis: in mari videlicet: bello: vel infirmitate vel morte violenta laico cõfiteri: tamẽ non neceſſariũ. quod ſi fiat et quis euadat: tenet talis iterũ de illis omnibus pctis confiteri quia nõ habebat ille claues eccleſie. Si vero infirm⁹ non eſt in ꝑiculo mortis ſi habet cauſam excõicationis vel pctã reſeruata epõ: debet cõfeſſor ire vel mittere ad epũm ſi poteſt ꝓ auctoritate hmõi: tamẽ modo tali ꝙ non ꝓdat peccatorẽ: niſi prius ille dederit ſibi licentiã nominãdi eum. Si vero infirm⁹ habet indulgentiã in articulo mortis a papa appropinquante morte ſic põt fieri abſolutio poſt omnia ſupra dicta pro dicta indulgentia.

Forma abſolutionis in articulo mortis.

Miſereatur tui ⁊c. Auctoritate dñi noſtri ieſu chriſti ⁊ beatorũ apoſtoloꝝ Petri et Pauli et domini noſtri pape. N. et ſancte Romane eccleſie in hac ꝑte tibi conceſſa ſpãliter et mihi cõmiſſa concedo et do tibi plenariã indulgentiã et remiſſionẽ omniũ peccatoꝝ tuoꝝ de quibus ore confeſſus es. Nota hic an melius ſit dicere. de quibus mõ confeſſus es: an de quibus ore cõfeſſus es et corde contritus: que non cõmiſiſti ſub ꝑtextu iſtius indulgẽtie inquantũ claues eccleſie ſe extendũt. que quidẽ plenaria indulgẽtia ſit tibi in augmentum virtutis et gratie et acquiſitõnis vite eterne. In noie patris et filij et ſpiritus ſancti. Amen.

Forma abſolutionis ab excõmunicatione minori.

Ego te abſoluo a vinculo excõicationis quã incurriſti participando cum excõicatis in caſu non conceſſo: in loquela: in cibo vel potu et hmõi: et reſtituo te ſanctis ſacramẽtis eccleſie. In noie patris et filij et ſpũs ſancti. Amen.

¶ Nota vero q̄ in abſolutione ab excōicatione maiori debet primo exigi iuramentū vt ſcȝ iuret ſtare mandatis eccleſie que ſcȝ fient ei ab abſoluente pro tali materia. quo facto imponi ei debēt mandata rōnabilia vt ſatiſfaciat ei quē leſit vel dammifi cauit ſi pōt: ſi tamē pro hmōi eſt excōicatus: p̄cipue ei iniungendum eſt ne ampli⁹ veniat cōtra illum canonē: vel ſi fuit excōmunicatus ꝓpter verberationē clerici: non ampli⁹ verberet. Scḋo exutis humeris abſoluend⁹ debet verberari cum virga dicendo pſalmū. Miſerere mei deus. vel aliū pſalmū penitencialē: ad quēlibet verſum dando vnū ictum. Poſtea ſubiūgat Pater noſter. Et ne nos. Saluū fac ſeruū tuum ⁊c. ꝓut paulo ante notatū eſt. Deus cuius ꝓprium eſt miſereri ⁊c. tandeȝ habens auctoritatē abſoluat ſic dicēdo. Auctoritate dei omnipotentis ⁊c. ꝓut ſupra plene dictum eſt.

¶ Forma abſolutionis a peccatis excōicationis minoris.

Si teneris aliquo vinculo excōicationis vel ꝑticipationis a qua poſſū te abſoluere: ego abſoluo te et reſtituo te ſanctis ſacramētis eccleſie. In noīe patris et filij ⁊c. Dñs noſter ieſus xp̄s te abſoluat: et ego auctoritate qua fungor abſoluo te a pc̄tis tuis. In nomīe patris ⁊c. omnia bona que feceris vel facies et quicquid pateris vel patieris ſint tibi in remiſſionē peccatoꝝ tuorum omniū et in augmētum gratie: et premiū vite eterne. Amen.

¶ Forma ſacramēti baptizmatis.

Ego te baptizo. In noīe patris et filij et ſpūs ſancti Amē Tho. in. iiij. ego et amen nō ſunt de ſubſtātia ſcramēti: tamē dici debēt ex ſtatuto et cōſuetudine eccleſie. Sed ſi dubitatur. Si es baptizat⁹ non te rebaptizo. ſi non es baptizat⁹ ego te baptizo. In noīe patris et filij et ſpūs ſancti. Amen.

¶ Forma ꝯfirmationis ſeu chriſmatis dande per ep̄um.

Conſigno te ſigno crucis: et chriſmo chriſmate ſalutis in

nomine patris et filij et ſpiritus ſancti. Amen. In fronte dc̄i et cum chriſmate conſecrato ab epiſcopo. Tho. in. iiij.

¶ Abſolutio a peccatis.

Ego te abſoluo a peccatis tuis. In nomine patris ⁊ filij et ſpiritus ſancti. Amen. Omnia vero alia ſunt ad bene eſſe. Thomas.

¶ Forma extreme vnctionis Et primo ad oculos.

